

17

SVETONII TRAN-
QVILLI XII CAESARES.

D. IVLIVS CAESAR.



Nnum agens Caesar XVI.
patrem amisit: sequentibusq;
COSS. flamen Dialis destina-
tus, dimissa Cossutia, quæ fami-
lia equestri, sed admodum di-
ues prætextato desponsata sue
rat: Corneliam Cinnæ IIII.

Despon-
ta, pro de-
sponsa.

COS. filiam duxit uxorem: ex qua illi mox Iulia na-
ta est: neq; ut repudiaret illam compelli à Dictatore
Sylla ullo modo potuit. Quare & sacerdotio, et uxo-
ris dote, et gētilitijs hæreditatibus mulctatus, diuer-
sarum partium habebatur: ut etiam discedere è me-
dio, & (quanq̃ morbo quartanæ aggrauante) propè
per singulas noctes commutare latebras cogeretur:
seq; ab inquisitoribus pecunia redimere: donec per
uirgines Vestales, perq; Mamercum Aemilium, &
Aurelium Cottam propinquos & affines suos ueni-
am impetrauit. Satis constat Syllam (quum de precan-
tibus amicissimis et ornatissimis uiris aliquandiu de-
negasset, atq; illi pertinaciter cõtenderent) expugna-
tum tandem proclamasse, siue diuinitus, siue aliqua

Repudia-
re, pro di-
mittere
quam du-
xeris.

B coniectus

18 C. SVETONII TRANQ.

coniectura uincerent, ac sibi haberent, dumodo sci-
rent eum, quē incolumem tantopere cuperent quan-
doq; optimatiū partibus (quas secum simul defendis-
sent) exitio futurū. Nā Cæsari multos Marios inesse.

Cæsar.) Dicitur est qd matris utero cæso natus sit
Sequentibusq; consulibus.) Annos enim à con-
sulatu annuo magistratu Romani numerauerunt.

Flamen dialis. Hoc est, sacerdos Iouis. Sacerdo-
tio nullus maior honor fuit, religionemq; præfere-
bant omnibus rebus Romani.

Prætextato.) Prætexta puerorum uestis erat no-
biliarum, ita uocata à purpura prætexta. f. y. habebat so-
natovs

Prima Cæsaris militia. CAP. II.

fecit stipē
dia, pro
meruit.

Facere in
stipēdia pe-
ditibus
vultus
p. i. e. g. d. d.

Stipendia prima in Asia fecit, Marci Thermo
prætoris contubernio, à quo ad accersendam
classē in Bithyniam missus, desedit apud Nicome-
dem, non sine rumore prostrata regi pudicitie, quē
rumorem auxit intra paucos rursus dies repetita Bi-
thynia per causam exigendæ pecuniæ, quæ debere-
tur cuidam libertino clienti suo. Reliqua militia, se-

Ciuica, si-
ne addito
substanti-
uo, ut sub
audias co-
rona, quo
modo &
aliis sæpē
loquitur.

cundiore fama fuit: & à Thermo in expugnatione
Mithylenarum, ciuica donatus est.

Ciuica corona.) Quam ex quercu factam, cuius
cui dabat, cui salutem & uitam debebat.

Secunda eius militia, & ipsius ad urbem reditus.

CAP. III.

Meruit et sub Seruilio Isaurico in Cilicia, sed
breui tempore. Nam Syllæ morte comperta,
simul spe nouæ dissentionis, quæ per M. Lepidum mo-
uebatur.

Facere in stipēdia pe-
ditibus vultus p. i. e. g. d. d.

Facere in stipēdia pe-
ditibus vultus p. i. e. g. d. d.

nebatur, Romam properè redijt, & Lepidi quidem societate (quanquam magnis conditionibus inuitaretur) abstinuit, cum ingenio eius diffusus, tum occasione, quam minorem opinione offenderat.

Meruit Id est, Propter stipendia militavit. Hinc milites dicimus emeritos.

Accusatio Dolabellæ. CAP. IIII.

Cæterum composita seditione civili, Cornelium Dolabellam consularem & triumphalem uirum, repetundarum postulauit: absolutoque, Rhodum secedere statuit: & ad declinandam inuidiam, & ut per otium ac requiem Apollonio Moloni clarissimo tunc dicendi magistro, operam daret. Huc dum hybernis iam mensibus trajicit, circa Pharmacusam insulam à prædonibus captus est: mansitque apud eos non sine summa indignatione propè XL dies cum uno medico, & cubicularijs duobus. Nam comites, seruosque cæteros in initio statim ad expediendas pecunias, quibus redimeretur, dimiserat. Numeratis deinde L. talentis, expositus in littore non distulit, quin è uestigio classe deducta, persequeretur abeuntes: ac redactos in potestatem, supplicio, quod illis sæpè minatus inter iocum fuerat, afficeret. Vastante regiones proximas Mithridate, ne desidere in discrimine sociorum uideretur, ab Rhodo, quò pertenderat, transit in Asiam: auxilijs que com-

Dimisit,
pro alium
alio missa.

20 C. SVETONII TRANQ.
tractis, & prefecto regis prouincia expulso, nutan-
teis ac dubias ciuitates retinuit in fide.

Repetundaram postulauit. Id est, accusauit de
bonis in prouincia male & iniuste acquisitis.

Tribunatus militum eius, & alia per eum
gesta. CAP. V.

Tribunatu militum (qui primus Romam reuera
so per suffragia populi honor obtigit) autores
restituendæ tribunitiæ potestatis, cuius uim Sylla di-
minuerat, enixissimè iuuit. Lucio etiam Cinnae uxori
fratri, & qui cum eo ciuili discordia Lepidum se-
cuti, post necem COS. ad Sertorium confugerant:
reditum in ciuitatem rogatione Plotia consecit, ha-
buitq; & ipse super ea re concionem.

Tribunus militum. Huius magistratus maximus
est, ut miles uestibus & armis, exercitatione & mili-
tari disciplina sit expeditus. Autore Vegetio.

Questura eius, & alia gesta. CAP. VI.

Questor Iuliam amitam, uxoremq; Corneliam
defunctas laudauit è more pro rostris: sed in
amitæ quidem laudatione, de eius ac patris sui utra-
que origine sic refert: Amitæ meæ Iuliæ maternum
genus ab regibus ortum, paternum cum dijs immor-
talibus coniunctum est. Nam ab Anco Marcio sunt
Marcij reges, quo nomine fuit mater à Venere Iulij,
cuius gentis familia est nostra. Est ergo in genere &
sanctitas regum, qui plurimū inter homines pollent,
& cerā

Cerimonia deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges. In Corneliæ autem locum Pompeiam duxit Q. Pompeij filiam, L. Syllæ neptem: cum qua deinde diuortium fecit, adulteram opinatus à Publico Clodio: quem inter publicas ceremonias penetrasse ad eam muliebri ueste tam cōstans fama erat, ut senatus questionem de pollutis sacris decreuerit.

Gemitus Caesaris apud statuam Magni Alexandri, eiusq; somnium de matris concubitu. CA. VII.

Questori ulterior Hispania obuenit: ubi cū mandato P. R. iure dicundo conuentus circumiret, Gadeisq; uenisset, animaduersa apud Herculis templum Magni Alexandri imagine, ingemuit: *et quasi pertesus ignauia suam*, quod nihil dum à se memorabile actum esset in ætate, qua iam Alexander orbem terrarum subegisset, missionem continuè efflagitauit ad captandas quamprimum maiorum rerum occasiones, In urbe etiam confusum eum somnio proximæ noctis (nam uisus erat per quietem matri stuprum intulisse) coniectores ad amplissimam spem incitauerunt, arbitrium orbis terrarum portendi interpretantes: quando mater, quam subiectam sibi uidisset, non alia esset, quàm terra, quæ omnium parens haberetur.

Dgesta per eum in urbe. CAP. VIII.
Ecedens ergo ante tempus, colonias Latinas

de petenda ciuitate agitantes adiit: & ad audendum aliquid concitasset, nisi COSS. conscriptas in Ciliciam legiones paulisper ob id ipsum retinuissent: nec eò fecius maiora mox in urbe molitus est.

Suspicio coniurationis eius cum Crasso & Sylla.

CAP. IX.

Siquidem ante paucos dies quàm ædilitatem iniret, uenit in suspicionem conspirasse cum M. Crasso consulari, item Publio Sylla, & L. Antronio post designationem consulatus, ambitus condemnatis: ut principio anni senatum adorirentur, & trucidatis, quos placitum esset, dictaturam Crassus inuaderet, ipse ab eo magister equitum diceretur, constitutaq; ad arbitrium Repub. Syllæ & Antronio consulatus restitueretur. Meminerunt huius coniurationis Tanusius Geminus in historia, Marcus Bibulus in edictis, C. Curio pater in orationibus. De hac significare uidetur et Cicero in quadam ad Atticum epistola, referens ad Cæsarem in consulatu confirmasse regnum, de quo ædilis cogitârat. Tanusius adiicit, Crassum pœnitentia uel metu diem cædi destinatum non obiisse, & idcirco ne Cæsarem quidem signum, quod ab eo dari conuenerat, dedisse. Conuenisse autem Curio ait, ut togam de humero deijceret. Idem Curio, sed & M. Actorius Naso (auctores sunt) conspirasse non etiam cum Cn. Pisone adolescente: cui ob suspicionem

cionem urbanae coniurationis prouincia Hispania ul-
trò extra ordinem data sit: pactumq; ut simul foris
ille, ipse Romae ad res nouas conſurgerent, per Lam-
branos & Transpadanos, deſtitutum utriusque con-
ſilium morte Piſonis.

Ambitus condemnatis.) Ambitus dicuntur rei,
qui largitionibus ad honores perueniunt, quibus
pœnas conſtituit lex Calphurnia.

Dictatura.) Summus fuit Romae magiſtratus, à
quo non erat ius pronocandi.

Aedilitas eius, & geſta in ea. CAP. X.

Aedilis, præter comitium ac forum, baſilicasq;
etiã capitolium ornauit porticibus ad tem-
pus extructis: in quibus abundante rerum copia,
pars apparatus exponeretur. Venationes autem lu-
doſq; & cum collega, & ſeparatim edidit: quo ſa-
ctum eſt, ut communium quoque impenſarum ſolus
gratiam caperet. Nec diſſimularet collega eius M.
Bibulus eueniſſe ſibi, quod Polluci. Ut enim geminis
fratribus ædes in foro conſtituta, tantum Caſtoris uo-
caretur: ita ſuam, Caſarisq; munificentiam, unius Cæ-
ſaris dici. Adiecit in ſuper Cæſar etiam gladiatorum
munus, ſed aliquando paucioribus, quam deſtinauerat,
paribus. Nam quum multiplici undique familia
comparata, inimicos exterruiſſet, cautum eſt de nu-
mero gladiatorum, quo ne maiorem cuiquam habe-
re Romae liceret.

*baſilica ſeclis ſeclis
den yonidm ſaſſi
der ſunt, caſſi ſeclis
Baſilicam cu ſeclis
que: Baſilica ſeclis
ta, eſt geſta*

Romae
Non eſt in
antiquo
codice.

Aedilis.) Illorum erat procuratio sacrarum ædium, ludorum & spectaculorum.

Comitium.) Pediano teste, erat locus in foro, ubi populus equitesq; Romani conueniebant.

Gesta per eum in urbe. CAP. XI.

Conciliato populi fauore, tentauit per partem Tribunorum, ut sibi Aegyptus prouincia plebis cito daretur, nactus extraordinarij imperij occasionem, quòd Alexandrini regem suum, sociumq; atque amicum à senatu appellatum expulerant, resq; uulgò improbatur: nec obtinuit, aduersante optimatum factiōne: quorum autoritatem, ut quibus posset modis, inuicem diminueret, trophæa C. Marij de Iugurtha, deq; Cimbris atq; Theutonis, olim à Sylla disiecta, restituit: atq; in exercenda de sicarijs quaestione, eos quoq; sicariorum numero habuit, qui proscriptiōne ob relata ciuū Romanorum capita, pecunias ex ærario acceperant, quanquam exceptos Cornelij legibus.

Sicariorum.) Sic uocantur, qui sica uel alio quocunque instrumento hominē occiderunt: Iosephus scribit milites Romanos duas sicas, alteram in sinistro, alteram in dextro latere tulisse.

De eisdem gestis. CAP. XII.

Svbornauit etiam, qui C. Rabirio perduellionis diem diceret: quo præcipuo adiutore, aliquot ante annos Lucij Saturnini seditiosum Tribunatum Senatus coercuerat: ac sorte iudex in reum ductus,

tam

Handwritten marginal notes:
 Sicarij sunt illi qui
 etiam in sacris
 sed in his sacris de
 iugurtha
 Tribunus
 de iugurtha
 in dextro latere
 Forat ubi sub
 220 in dextro latere

tam cupidè condemnauit, ut ad populum prouocanti nihil æquè ac iudicis acerbitas profuerit.

Perduellionis.) Hoc est, læsæ maiestatis crimen, homines aduersus rempub. & principem armati, Vlpiano exponente.

Pontificatus maximus Cæsaris.

CAP. XIII.

DEposita prouinciæ spe, pontificatum maximum petijt, non sine profusissima largitione. In qua reputans magnitudinè æris alieni, quum manè ad comitia descenderet, prædixisse matri osculanti fertur, domum se nisi pontificem non reuersurum: atque ita potentissimos duos competitores, multumq; ætate ac dignitate antecedentes superauit, ut plura ipse in eorū tribubus suffragia, quàm uterque in omnibus tulerit.

Pontificatum Max.) Testis est Cicero in officijs Romanorum maiores omnia subiecisse Pontificibus: id quod primus Numa Pompilius fecit, quem admodum Liuius scribit.

Tribubus.) Solebant enim contribules cōtribubus suis magis fauere, quo magis mirū est Ciceronem in competitorū tribubus tot tulisse suffragia. Erāt uero in Romana ciuitate trib⁹ trigintaquinq;

Prætura eius, & gesta alia.

CAP. XIII.

PRætor creatus, detecta coniuratione Catilinæ senatuq; uniuerso in socios facinoris ultimam statuente poenam, solus municipatim diuidendos cu-

stodiendosq; publicatis bonis censuit. Quin & tantum metum miccit asperiora suadentibus, identidem ostentans quanta eos in posterū à plebe Romana maneret inuidia, ut Decium Syllanum COS. desig. non piguerit sententiam suam, quia mutare turpe erat, interpretatione lenire, uelut grauius atq; ipse sensit set exceptā: obtinissetq; ad eō transductis ad se iam pluribus, et in his Cicero consulis fratre, nisi labantem ordinem confirmasset M. Catois oratio. Ac ne sic quidem impedire rem destitit, quod ad usq; manus equitum Romanorum, que armata presidij causa circumstabat, immoderatus perseveranti necem comminata est: et iam strictos gladios usq; eō intentans, ut sedentem unā proximi deseruerint, uix pauci complexu togaq; obiecta protexerint. Tunc planè deteritus non modò cessit, sed etiam in reliquum anni tempus curia abstinuit.

Municipatim. Per Romani imperij municipia, de quibus apud Casarem & Gellium plurima. Est autē municipiū oppidū suis legibus & iure uiuēs, maioribus fœderibus certi s̄q; conditionibus iunctū.

Eius gesta in officio prætore.

CAP. XV.

Primo prætore die Q. Catulū de refectione Capitolij ad disquisitionem populi uocauit, rogatione promulgata, qua curationem eā in alium transferbat. Verū impar optimatum cōspirationi, quos relictā

Quin & tantum miccit asperiora suadentibus, identidem ostentans quanta eos in posterū à plebe Romana maneret inuidia, ut Decium Syllanum COS. desig. non piguerit sententiam suam, quia mutare turpe erat, interpretatione lenire, uelut grauius atq; ipse sensit set exceptā: obtinissetq; ad eō transductis ad se iam pluribus, et in his Cicero consulis fratre, nisi labantem ordinem confirmasset M. Catois oratio.

relieto statim nouorum consulum officio, frequentes obstinatosq; ad resistendum concurrisse cernebat, hanc quidem actionem deposuit.

Privatio eius à prætura, & item restitutio.

CAP. XVI.

CAeterum Cecilio Metello Trib. Pleb. turbulentiſſimas leges aduersus collegarum intercessionem ferenti, autorem propugnatoremq; se pertinaciſſimè preſtitit, donec ambo administratione Reip. decreto patrum ſummouerentur. Ac nihilominus permanere in magistratu, & ius dicere auſus, ut comperit paratos, qui ui ac per arma prohiberent, demissis licioribus, abiectaq; prætexta, domus clam refugit, pro conditione temporum quieturus. Multitudinem quoq; biduo post sponte et ulro confluentem, operamq; sibi in asserenda dignitate tumultuosius pollicentem, compescuit. Quod cum præter opinionem euenisset, senatus ob eundem coetum festinato coactus, gratias ei per primores uiros egit: accitumq; in curiâ, et amplissimis uerbis collaudatum, in integrum restituit, inducto priore decreto.

Actio eius ob coniurationem Catilinæ.

CAP. XVII.

Recidit rursus in discrimen aliud, inter socios Catilinæ nominatus, et apud Nouium Nigrum

Quæ

Quæstorē à Lucio Vectio indice, & in senatu à Q. Curio, cui (quòd primus consilia coniuratorum detexerat) constituta erant publicè præmia. Curius è Catilina se cognouisse dicebat. Vectius etiam chirographum eius Catilinæ datum pollicebatur. Id uerò Cæsar nullo modo tolerandum existimans, cum inplorato Ciceronis testimonio, quædam se de coniuratione ultro ad eum detulisse docuisset, ne Curio præmia darentur, effecit. Vectium pignoribus captis, & direpta supellectile malè mulctatum, ac pro rostris in concione penè *discriptum*, coniecit in carcerem. Eòdem Nouium Quæstorem, quòd compellari apud se maiorem potestatem passus esset.

Compellari.) Criminari & accusari est. Maior enim potestas erat prætura quàm quæstura.

Ultior Hispania ei sorte data post Præturam.

CAP. XVIII.

EX Prætura ulteriorem sortitus Hispaniam, retinentes creditores interuentu sponsorum remouit: ac neq; more, neq; iure, antequàm prouinciæ ordinarentur, profectus est: Incertum, metùne iudicij, quòd priuato parabatur, an quòd maturius socijs implorantib; subueniret, pacataq; prouincia, pari festinatione, non expectato successore, ad triumphum simul consulatumq; decessit. Sed cum editis iam comitijs ratio eius haberi non posset, nisi priuatus introisset

troisset urbem: et ambienti ut legibus solueretur, mul-
ti contradicerent, coactus est triumphum, ne consula
tu excluderetur, dimittere.

Uteriorē Hispaniam.) Linius scribit Hispanias
citeriorem & uteriorē prouincias fuisse prętorias.

Pacata prouincia.) Uteriorē enim Hispaniā ita
quietā reliquit ab omnib⁹ intestinis factionibus, ut
etiam uicinos subiecerit illi ad Oceanū usq;: feliciter
cedēte expeditione aduersus Lusitanos suscepta.

Consulatus eius cum Bibulo.

CAP. XIX.

EDuobus consulatus competitoribus, Lucio Lu-
ceio, Marcoq; Bibulo, Luceium sibi adiunxit:
pactus ut is, quoniam inferior gratia esset, pecuniāq;
polleret, nummos de suo communi nomine per centu-
rias pronuntiaret. Qua cognita re, optimates quos
metus ceperat, nihil non ausurum eum in summo ma-
gistratu concordi, & consentiente collega, autores
Bibulo fuerunt tantundem pollicendi: ac pleriq; pec-
cunias contulerunt, ne Catone quidem abnuente eam
largitionem ē Repu. fieri. Igitur cum Bibulo consul
creatus est. Eandem ob causam opera optimatibus
data est, ut prouincię futuris C O S S. minimi nego-
tij, id est syluę, callesq; decernerentur. Qua maxi-
mē iniuria instinctus, omnibus officijs Cn. Pompeiū
affectatus est, offensum patribus, quod Mithridate
rege uicto, cunctantiū confirmarentur acta sua: <sup>Offensus
patribus.
pro inui-
sus.</sup>
Pompeioq; M. Crassum reconciliauit, ueterem ini-
micum

micum ex consulatu, quem summa discordia simul gesserant: ac societatem cum utroq; iniijt, ne quid ageretur in Repub. quod displicuisset ulli è tribus.

Gesta per eum in consulatu. CAP. XX.

Inire honore pro suscipere. imò gere re incipere. Morè retulit, pro instaurauit.

Inito honore, primus omnium instituit, ut tam seo natus, quam populi diurna acta conficerentur ea publicarentur. Antiquum etiam retulit morem, quo mense fasces non haberet, accensus ante eum iret, licetores ponè sequerentur. Lege autem agraria promulgata, obnunciantem collegam armis foro expulit. Ac postero die in senatu conquestum, nec quomquam reperto, qui super tali consternatione referre aut censere aliquid auderet, qualia multa sepè in leuioribus turbis decreta erant, in eam coegit desperationem, ut quò ad potestate abiret, domo abditus nihil aliud quam per edicta obnunciaret. Vnus ex eo tempore omnia in Republica & ad arbitrium admistravit: ut nonnulli urbanorum, quum quid per iocum testandi gratia signarent, non Cesare & Bibulo, sed Iulio & Cesare COSS. actum scriberent: bis eundem prapponentes nomine atq; cognomine, utq; vulgò mox ferrentur hi uersus:

Nihil aliud, pro duntaxat, more Greco, M. D. C. LXXII.

Non Bibulo quicquam, nuper sed Cesare factum est. Nam Bibulo fieri consule nil memini. Campū Stellatam maioribus cōsecratum, agrūq; Campaniam ad subsidia Reipublica uectigalem relictum

Tum dimisit extra sortem, ac viginti millibus civium,
 quibus terni plures ve liberi essent. Publicanos re-
 missionem petentes, tertia mercedum parte releua-
 uit: ac ne in locatione nouorum uectigalium inno-
 deratius licitarentur, propalam monuit. Cetera item
 que cuiq; libuissent, dilargitus est cōtradicente nul-
 lo: ac, si conaretur quis, absterrito, M. Catonem inter-
 pellantem extrahi curia per licitorem, duciq; in car-
 cerē iussit. Lucio Lucullo liberius resistenti tantum
 calumniarum metum iniecit, ut ad genua ultrō sibi
 accideret. Cicerone in iudicio quodam deplorante
 temporum statum, P. Clodium inimicum eius frustra
 iam pridem à patribus ad plebem transire nitentē,
 eodē die horaq; nona traduxit. Postremò in uniuer-
 sos diuersæ factionis inductum præmijs, ut se de infe-
 renda Pompeio nece sollicitatum à quibusdam profi-
 teretur, productusq; pro rostris autores ex cōpactio-
 nominaret: sed uno atq; altero frustra, nec sine suspi-
 cione fraudis nominatis, desperans tam præcipitis
 consilij euentum, intercepisse ueneno indicem cre-
 ditur.

Libuisset
 ut, Non re
 hec pudet
 Dilargiri,
 pro diuer-
 sis dare.

Traduce-
 re, nō pro
 diuulgare
 sed in di-
 uersam
 partem
 ducere.

Fasces non haberet.) Alternis mētib; apud Ro-
 manos consuli consul tradebat fasces, hoc est, licto-
 res, qui cum fascibus uirgarū ad securas alligatis
 consulem præcedebant. Erant autem uirgæ ex be-
 tula arbore. Teste Plinio.

Lege agraria.) Est lex de agris publicis in priuatos
 diuidendis uirgitim, Quæ à popularibus regnumq;
 affectan-

affectantibus solebat ferri, contra Rempub. Maior enim plebis pars quærit contra publica commoda, priuata.

Calpurniam ducit uxorem, & Iuliam suam Pompeio tradit. CAP. XXI.

Sub idem tempus Calpurniam L. Pisonis filiam, successuri sibi in consulatu, duxit uxore, suamq; Iuliam Cn. Pompeio collocauit, repudiato priore sponso Seruilio Cepione, cuius uel præcipua opera paulò antè Bibulum impugnauerat. Ac post nouam affinitatem, Pompeium primum rogare sententiam cœpit, quum Crassum soleret, essetq; consuetudo, ut quem ordinem interrogandi sententias C. O. S. Ca. lend. Ianuarijs instituisset, cum toto anno conseruaret.

De imperio Galliarum, ei concesso post consulatum. CAP. XXII.

Socero igitur generoq; suffragantibus, ex omni prouinciarum copia Gallias potissimum elegit, cuius emolumento & oportunitate idonea sit materia triumphorũ, & initio quidem Galliam Cisalpinam, Illyrico adiecto, lege Vatinia accepit: mox per senatum Comatam quoq; ueritis patribus, ne si ipsi negassent, populus & hanc daret. Quo gaudio elatus non temperauit, quin paucos post dies frequenti curia iactaret, inuitis & gementibus aduersarijs adeptum se quæ concupisset: proinde ex eo insultatus

sultaturum omnium capitibus: ac negante quodam
 per contumeliam facile hoc illi foeminae fore, respon-
 sponderit, quasi alludens, in Assyria quoque regnasse
 Semiramim, magnamque Asia partem Amazonas te-
 misse quondam.

Vlli foemi-
 nae, p cui-
 us tami-
 nae.

Galliam Cisalpinam.) Quae etiam togata est no-
 minata. Transalpina autem Romanis est uocata Co-
 mata, quae tripartito diuiditur, nimirum in Aequi-
 taniam, Celticam, & Belgicam.

Vlli foeminae.) Id est, cui libet foeminae. Notauit au-
 tem eius adolescentiam impudicitiae nomine suspectam.

Accusatio gestorum consulatus eius.

CAP. XXIII.

Functus consulatu, C. Memmio, Lucioque Domi-
 tio Praetoribus, de superioris anni actis re-
 ferentibus, cognitionem senatui detulit: nec illo
 suscipiente, triduoque per irritas altercationes absum-
 pto, in prouinciam abiit: & statim Quaestor eius in
 praerudicium aliquot criminibus arreptus est. Mox
 & ipse a L. Antistio Tribuno plebis postulatus, ap-
 pellato demum collegio, obtinuit (quam Reipublicae
 causa abesset) reus ne fieret. Ad securitatem ergo
 posteritatis temporis, in magno negotio habuit, obliga-
 re semper annuos magistratus, & e competitoribus
 non alios adiuuare, aut ad honorem pati peruenire,
 quam qui sibi pepigissent propugnatos absentiam
 suam, cuius pacti non dubitauit a quibusdam iusuram-

C dum,

dum, atq; etiam syngrapham exigere.

De Domitio minante Cæsari, & gestis per eum
in Gallia.

CAP. XXIII.

Sed quum L. Domitius consulatus candidatus p-
stam minaretur COS. se effecturū, quod Pretor
nequisset, adempturūq; ei exercitus, Crassum, Pom-
peiumq; in urbem prouincia sue Lucam extractos,
compulit, ut detrudendi Domitij causa consulatum
alterum peterent: perfecitq; utrunque, & ut in quin-
quennium sibi imperium prorogaretur. Qua fiducia
ad legiones, quas à republica acceperat, alias publi-
co, alias priuato sumptu addidit: unā etiam ex trans-
alpinis conscriptam, uocabulo quoq; Gallico (Alauda
enim appellabatur) quā disciplina cultuq; Romano
institutam et ornatam, postea uniuersam ciuitate do-
nauit. Nec deinde ulla belli occasione, ne iniusti qui-
dem ac periculosi abstinuit, tam fœderatis quàm in-
festis, ac feris gētibus ultro lacesitis, adeo ut senatus
quondam legatos ad explorandum statum Galliarum
mittendos decreuerit, ac nonnulli de dendum cum ho-
stibus censuerint. Sed prosperè decedentibus rebus,
& sæpius & plurium quam quisquam unquam dierū
supplicationes impetrauit.

(Dierum supplicationes.) Decreuerūt Romani sup-
plicationes nomine imperatorū qui feliciter & præ-
clare res bellicas gerebāt. Sic cū Cæsar in Gallijs &
Germania maximas res miro successu cōficit mira-
bili celeritate, illi supplicatio est decreta quædecim
dierum.

Deceden-
tibus re-
bus, pro
exeunti-
bus sue
euenien-
tibus.

dierum. Quod antea contigerat nulli. Sicut ipse Caesar gloriatur in commentarijs belli Gallici.

Alia gesta per eum in Gallia. CAP. XXV.

GESIT autem IX. annis (quibus in imperio fuit) hæc frè: Omnem Galliam, quæ à saltu Pyrenæo Alpibusq; & monte Gebenna, fluminibus Rheno & Rhodano continetur, patetq; circuitu ad bis & tricies centum millia passuum, præter socias ac bene meritas ciuitates, in prouinciæ formam redegit, eiq; in singulos annos stipendiij nomen imposuit. Germanos qui trans Rhenum incolunt, primus Romanorum ponte fabricato aggressus, maximis affecit cladibus. Aggressus & Britannos ignotos antea, superatisq; pecuniis & obsides imperauit. Per tot successus, ter nec amplius, aduersum casum expertus, in Britannia classe ui tempestatis propè absumpta, & in Gallia ad Gergouiam legione fusa, & in Germanorum finibus Titurio et Arunculeio legatis per insidias cæsis.

Mors matris, filia, & neptis eius, & alia gesta per eum. CAP. XXVI.

Eodem temporis spatio, matrem primò, deinde filiam, nec multo post neptem amisit. Interimq; consternata P. Clodij cæde Republica, quum senatus unum COS. nominatimq; Cn. Pompeium fieri censuisset, egit cum tribunis plebis collegam se Pompeio

destinantibus, id potius ad populum ferrent, ut ab-
 senti sibi, et quodcumque imperij tempus expleri ce-
 pisset, petitio secundi consulatus daretur: ne ea cau-
 sa maturius, & imperfecto adhuc bello decederet.
 Quod ut adeptus est, altiora iam meditans, & spei
 plenus, nullum largitionis aut officiorum in quen-
 quam genus publicè priuatimque omisit. Forum de ma-
 nubijs inchoauit: cuius area super H S. millies consti-
 tit. Munus populo epulumque pronunciauit in filia me-
 moriam, quod ante eum nemo fecit. Quorum ut quàm
 maxima expectatio esset, ea quæ ad epulum pertine-
 rent, quamuis macellarijs oblocata, etiam domestica-
 tim apparabat. Gladiatores notos, sicubi infestis spe-
 ctatoribus dimicarent, ut rapiendos reseruandosque
 mandabat. Tirones neque in ludo, neque per Lanistas,
 sed in domibus per equites Romanos, ac etiam per se-
 natores armorum peritos, erudiebat, precibus enitens
 (quod epistolis eius ostenditur) ut disciplinam sin-
 gulorum susciperent, ipsique dictata excentibus da-
 rent. Legionibus stipendium in perpetuum duplica-
 uit. Frumentum, quoties copia esset, etiam sine modo
 mensuraque præbuit, ac singula interdum mancipia &
 prædia uiritim dedit.

Forum de manubijs.) Hoc est, de spolijs prædæque
 hostili nempe Gallorum. Manubiæ enim prædati-
 zia pecunia dicitur ab Aulo Gellio.

Epulū.) Publicitus exhibitū populo magnificū cō-
 uitiū sic uocabatur. Solebat autē propter has fere
 causas

causas dari, in trispho, in exeqis, in ludis publicis.

Affinitas eius cum Pompeio reuocata, & alia
gesta. CAP. XXVII.

AD retinendam autem Pompeij necessitudinem ac uoluntatem, Octauiam sororis suae neptem quae C. Marcello nupta erat, conditione ei detulit: sibiq; filiam eius in matrimonium petijt, Fausto Sylla destinatam. Omnibus uero circa eum, atq; etiam parte magna senatus, gratuito aut leui scenore obstrictis, ex reliqua quoq; ordinum genere, uel inuitatos, uel sponte ad se commeantes uberrimo cōgiario prosequabatur: liberos insuper seruosq; cuiusq; prout domino patrono uel gratus quis esset. Tum reorum aut obætorum, aut prodigæ iuuentutis subsidium unicum ac promptissimum erat: nisi quos grauior criminum, uel inopiæ luxuriæ uel uis urgeret, quàm ut subueniri posset à se. His plane palàm bello ciuili opus esse dicebat.

Cōgiario. Imperatoris munus est. Sic uocatū à cōgio mēsuræ genere. Huius cōgiarij uaria erat sūma. Traianus enim tribus locupletauit cōgiario suo. Vt in Pli. Panegyrico est. Tiberius cōgiariū trecetorū numerū dedit uiritim. Caligula trecēta sestertia dedit, idq; bis. Neronis cōgiariū fuit quadringentorū numerū. Aliorum imperatorū aliud fuit cōgiariū.

Obætorum. Sunt milites aut alij qui ære accepto obligati sunt, & debitores ad seruiendum.

Amicitia regum & prouinciarum allata per eum: cum decreto senatus contra eum factō.

NEc minore studio reges atq; prouincias per terrarum orbem alliciebat, alijs captiuorum millia dono offerens, alijs citra Senatus Populiq; auctoritatem quò uellent, & quoties uellent, auxilia submittens, superq; Italia Galliarumq; et Hispaniarum,

Superq;
ppræter
Nam legi-
mus in ue-
tustissimo
codice.

Asia quoq; & Græcia potentissimas urbes præcipuis operibus exornans: donec attonitis iam omnibus, et quorsum illa tenderent reputantibus, M. Claudius Marcellus COS. edicto præfatus de summa se Reputaturum, retulit ad senatum, ut ei succederetur ante tempus: quoniam bello confecto pax esset, ac dimitti deberet uictor exercitus, & ne absentis ratio comitijs haberetur, quando ne plebiscito Pompeius postea abrogasset. Acciderat autem, ut is legem de iure magistratum ferens, eo capite quo à petitione honorum absentes submouebat, ne Cæsarem quidem exciperet per obliuionem: ac mox lege iam in æ incisa, & in ærarium condita, corrigeret errorem. Nec contentus Marcellus prouincias Cæsari & priuilegium eripere, retulit etiam ut colonis, quos rogatione Vatinia Nouumcomum deduxisset, ciuitas adimeretur, quòd per ambitionem & ultra præscriptum data esset.

Prouisio Cæsaris contra decretum senatus.

Commutatus his Caesar, ac iudicans (quod saepe ex eo auditum ferunt) difficilius se principem civitatis à primo ordine in secundum, quàm ex secundo in nouissimum detrudi, summa ope restitit, partim per intercessores tribunos, partim per Seruium Sulpitium alterum consulem. Insequenti quoque anno, C. Marcello, qui fratri patrueli suo Marco in consulatu successerat, eadem tentante, collegam eius Aemilium Paulum, Caiumque Curionem uiolentissimum tribunorum ingenti mercede defensores parauit. Sed cum obstinatus omnia agi uideret, et designatos etiam COS. è parte diuersa, senatum literis deprecatus est, ne sibi beneficium populi adimeretur: aut ut ceteri quoque imperatores ab exercitiis discederent, confusus (ut putant) facilius se simul ad quæ libuisset ueteranos conuocaturum, quàm Pompeium nouos milites. Cum aduersarijs autem pepigit, ut dimissis octo legionibus transalpinisque Gallia, duæ sibi legiones et cisalpina prouincia, uel etiam una legio cum Illyrico concederetur, quoad COS. fieret.

Causæ civilium bellorum Caesaris. CAP. XXX.

Verum neque senatu interueniente, et aduersarijs negantibus ullam se de Repub. facturos pacem, transijt in citeriorem Galliam: conuentibusque peractis Rauennæ substitit, bello uindicaturus, si quid de tribunis plebis intercedentibus pro

se, grauius à senatu constitutum esset. Et prætextum quidem illi ciuilium armorum hoc fuit. Causas autem alias fuisse opinantur. Cn. Pompeius ita dictitabat, quòd neq; opera consummare quæ instituerat, neque populi expectationem, quam de aduentu suo fecerat, priuatis opibus explere posset, turbare omnia ac permiscere uoluisse. Alij timuisse dicunt, ne eorum quæ primo consulatu aduersus auspicia, legesq; & intercessionem gessisset, rationē reddere cogeretur: quum M. Cato identidem, nec sine iureiurando denuntiaret, delaturum se nomen eius, simul ac primum exercitum dimisisset: quumq; uulgò fore prædicarent, ut si priuatus redisset, Milonis exemplo circumpositis armatis causam apud iudices diceret. Quod probabilius facit Asinius Pollio, Pharsalica acie cæsos profligatosq; aduersarios prospicientem, hæc eum ad uerbum dixisse referens: Hæc uoluerunt tantis rebus gestis, C. Cæsar condemnatus essem, nisi ab exercitu auxilium petissem. Quidam putant captum imperij consuetudine, † pensitatisq; suis & inimicorum uiribus, usum occasione rapiendæ dominationis, quam ætate prima concupisset. Quod existimasse uidebatur & Cicero, scribens de Officijs tertio libro, semper Cæsarem in ore habuisse eos in Phœnijsis,

† Alias,
pensatis.

Ἐν πείρῃ γὰρ ἀδίκημα χρεῖται, τυραννίδος ὅτι οὐκ ἔστι

καλόν.

Κάλλισορ ἀστρεῖμ, τ' ἄλλα δ' εὐσεβῆσιν χρισίωμ.

Euripidis uersus, quos sic ipse conuertit,

Nam si uiolandum est ius, imperij gratia

Violandum est: alijs rebus pietatem colas.

Tribunis plebis intercedentibus. Qui postea coacti sunt ex urbe ad Cæsarem proficisci propter senatus decreta. Sicut est in commentarijs Cæsaris scriptum.

ἀστρεῖμ.) De illa dictione uide Budæum in commentarijs suis.

Progressus eius à Rauenna in Rubiconem.

CAP. XXXI.

QUoniam ergo sublatam Tribunorum intercessionem, ipsosq; urbe cecisse nunciatum est, praemis confestim clam cohortibus, ne qua suspicio moueretur, & spectaculo publico per dissimulationem interfuit, & formam, qua ludum gladiatorium erat edificaturus, considerauit, & ex consuetudine conuiuio se frequenti dedit. Deim post solis occasum, mulis è proximo pistrino ad uehiculum iunctis occultissimum iter modico comitatu ingressus est: & quum luminibus extinctis decessisset uia diu errabundus, tandem ad lucem duce reperto, per angustissimos traimites pedibus euasit: consecutusq; cohortes ad Rubiconem flumen, qui prouinciæ eius finis erat, paulum constitit, ac reputans quantum moliretur, conuersus ad proximos, Etiam nunc (inquit) regredi pos-

C S sumus:

sumus: quòd si ponticulum transferimus, omnia armis agenda erunt.

Ostentum factum apud Rubiconem Cæsari
dubitanti. CAP. XXXII.

Cunctanti ostentum tale factum est: Quidam
eximia magnitudine & forma, in proximo se-
dens repente apparuit arundine canens: ad quem
audiendum, quum præter pastores, plurimi etiam ex
stationibus milites concurrissent, interq; eos & a-

Ab uno, p
à quodã.

neatores, rapta ab uno tuba profiliuit ad flumen: &
ingenti spiritu classicum exorsus pertendit ad alte-
ram ripam. Tunc Cæsar, Eatur (inquit) quò deorum
ostenta, et inimicorum iniquitas uocat: lacta est alea,
alea. Sic inquit.

Suspicio
legedum
iacta est
alea. Sic

enim cita-
tur à Pla-
tarcho
in 1. 1. 1. 1. 1.
1. 1. 1. 1. 1.

Ostentum.) Quod quippiam mirabile futurum
esse ostendat. Pro monstro, & portento, & prodigio
accipitur. Confunduntur enim illa, ut discriminis
parum aut nihil sit.

Transitus Rubiconis, & eius concio.

CAP. XXXIII.

Atque ita trãiecto exercitu, adhibitis Tribu-
Pleb. qui pulsi superuenerant, pro concione
fidem militum flens, ac ueste à pectore discissa, in-
uocauit. Existimatur etiam equestres census pollici-
tus singulis, quod accidit opinione falsa. Nam cum
in alloquendo exhortandoq; sæpius digitum leuans
manus ostentans, adfirmaret se ad satisfaciendum om-
nibus,

nibus, per quos dignitatem suam defensusus esset, anulum quoque equo animo detracturum sibi: extrema concio, cui facilius erat uidere concionantem, quam audire, pro dicto accepit, quod uisu suspicabatur, promissumque ius anulorum cum millibus CCCC. fama distulit.

Aduentus eius in urbem, & alia gesta.

CAP. XXXIIII.

ORdo & summa rerum, quas deinceps gessit sic se habent: Picenum, Umbriam, Hetruriam occupauit: & L. Domitio qui per tumultum successor ei nominatus, Corfinium praesidio tenebat, in deditionem redacto atque dimisso, secundum superum mare Brundisium tetendit, quo COS S. Pompeiusque confugerant, quamprimum transfretatur: hos frustra per omnes moras exitu prohibere conatus, Romano iter conuertit. Appellatisque de Reipub. patribus ualidissimas Pompeij copias, quae sub tribus legatis M. Petreio, & L. Afranio, & M. Varrone in Hispania erant, inuasit, professus antequam inter suos, ire se ad exercitum sine duce, & inde reuersurum ad ducem sine exercitu. Et quanquam obsidione Masiliæ, quae sibi in itinere portas clauerat, summaque frumentaria rei penuria retardante, breui tamen omnia subegit.

Victoria eius contra Pompeium, Ptolemæum,

& quos-

et quosdam alios. CAP. XXXV.

Hinc urbe repetita, in Macedoniam transgressus, Pompeium per quatuor penè menseis maximis obsessum operibus, ad extremum Pharsalico praelio fudit: et fugientem Alexandriam persecutus, ut occisum deprehendit, cum Ptolemæo rege, à quo sibi quoque insidias tendi uidebat, bellum sanè difficilimum gessit: neque loco, neque tempore æquo, sed huiusmodi anni, et intra mœnia copiosissimi ac solertissimi hostis inops ipse rerum omnium, atque imparatus. Regnum Aegypti uictor, Cleopatram fratrisque eius minori permisit: ueritus prouinciam facere, ne quandoque uiolentiores præsidem nacta, nouarum rerum materia esset. Ab Alexandria in Syriam, et inde Pontum transiit, urgentibus de Pharnace nuncijs: quem Mithridatis Magni filium, ac tunc occasione temporum bellantem, iamque multiplici successu præferocem intra quintum (quàm adsuerat) diem, quatuor, quibus in conspectum uenit, horis, una prostrigauit acie, crebro commemorans Pompeij felicitatem, cui præcipua militiæ laus de tam inbelli genere hostium contigisset. Dehinc Scipionem ac Iubam reliquias partium in Africa resouenteis deuicit, Pompeij liberos in Hispania.

Eius et legatorum suorum clades.

CAP. XXXVI.

Omnia

OMnibus ciuilibus bellis nullam cladem, nisi per legatos suos passus est: quorum C. Curio in Africa perijt, C. Antonius in Illyrico in aduersariorum deuenit potestate: P. Dolabella classem in eodem Illyrico, Cn. Domitius Caluinus in Ponto exercitum amiserunt. Ipse prosperrime semper, ac ne accipiti quidem unquam fortuna, praeterquam bis, dimicauit. Semel ad Dyrrhachium, ubi pulsus non instante Pompeio, negauit eum uincere scire. iterum in Hispania ultimo praelio, cum desperatis rebus etiam de consciscenda nece cogitauit.

Triumphus Caesaris. CAP. XXXVII.

Confectis bellis, quinque triumphauit, post deuictum Scipionem quater eodem mense, sed interiectis diebus, & rursus semel post superatos Pompeij liberos. Primum & excellentissimum triumphum egit Gallicum, sequentem Alexandrinum, deinde Ponticum, huic proximum Africanum, nouissimum Hispaniensem, diuerso quaque apparatu & instrumento. Gallici triumphi die uelabrum praeteruchens, penè curru excussus est, axe fracto. Ascenditq; Capitolium ad lunina, quadraginta elephantis dextra atq; sinistra † lychnuchos gestantibus. Pontico triumpho, inter pompae fercula trium uerborū praetulit titulum, Veni, Vidi, Vici, non acta belli

† Lychnuchos legē-
dū ex ue-
tustissimo

rodice, belli significantem, sicut cæteris, sed celeriter con-
suntq; hi, qui portat *secti* notam.

lucernas, Velabrū.) Romæ vicus est hoc nomine, in quo præ
qui quidē stantissimi casei fiebant, quos Velabrēses uocabāt.
ab elephā Axe.) Axis multa significat. Sunt duo axes qui &
tis gesta- cardines dicuntur, Græcis ἄξοι dicuntur. Dicitur e-
bantur. triā axis, ut in hoc loco, lignū teres circa quod rota
uertitur Sic uocatur Germanicè & Græcè ἄξοι.

Lychnu (hos.) Id est, portantes lucernas, qui fe-
rebantur ab elephantis.

De præmijs ueteranis, & liberalitate populo
per eum exhibitis. CAP. XXXVIII.

Veteranis legionibus prædæ nomine in pedis
tes singulos super bina HS. (quæ initio ciui-
lis tumultus numerauerat) in equites uicena quaterna
millia nummūm dedit. Assignauit & agros, sed non
continuos, ne quis possessorum expelleretur. Populo
præter frumēti denos modios, ac totidē olei libras, †
† Trice- nos, pro tricenos quoq; nummos, quos pollicitus olim erat, uia-
singulis ritim diuisit: & hoc amplius, centenos pro mora. An-
centum. aliās, tre- nuam etiam habitationem Romæ usq; ad bina millia
centos. nummūm, in Italia non ultra quingenos sestertios re-
Quinge- misit. Adiecit epulum † ac uiscerationem, & post Hi-
nos, pro spaniensem uictoriam duo prandia. Nam quum prius
singulis quingen- parçē, neq; pro liberalitate sua præbitum iudicaret,
tos. † Aliās, ad quinto post die aliud largissimum præbuit.

Viscerationem.) Visceratio est crudæ carnis in po-
puli distributio, quæ olim Romæ solebat à princi-
pibus urbis fieri. De qua habes apud Lium lib. 8. Vn-
de uiscerari est carnē populo distribuere uiscerati

Varia

Varia spectacula per eum edita.

CAP. XXXIX.

Edidit spectacula uarij generis: munus gladiatorum: ludos etiam regionatim urbe tota, & quidem per omnium linguarum histriones. Item Circenses athletas, naunachiam. Munere in foro depugnauit Furius Leptinus stirpe pratoria, & A. Calpenus Senator quondam, actorq; causarum: Pyrrhicam saltauerunt Asia Bithyniaeq; principum liberi. Ludis † Decimus Laberius eques Romanus mimum suam egit: donatusq; est quingentis sestertijs, & auro aureo. Sessum in XIII. scena per solium orchestram transijt. Circensibus, spacio Circi ab utraque parte producto et in gyrum curipo addito, quadrigas, bigasq;, & equos desultorios agitauerunt nobilissimi iuuenes. Troiam lussit turma duplex, maiorum minorumq; puerorum. Venationes editæ per dies quinq;, ac nouissimè pugna diuisa in duas acies quingentis peditibus, elephantis uicenis, tricenis equitibus hinc & inde commissis. Nam quò laxius dimicaretur, sublata metæ, inq; earum locum bina castra ex aduerso constituta erant. Athletæ, stadio ad tempus extracto, in regione Martij campi certauerunt per triduum. Nauali prelio in morem cochleæ defosso lacu, biremes, ac triremes, quadriremesq; Tyriæ & Aegyptiæ classes, magno pugnantium

nume-

numero conflixerunt. Ad quæ omnia spectacula tantum undiq; confluit hominum, ut pleriq; aduenæ inter uicos, aut inter uias tabernaculis positæ manerent: ac sæpè præ turba elisi exanimatiq; sint pluri mi, & in his duo senatores.

Naumachiam.) Naualem pugnam: hinc dicuntur ναύμαχοι, qui hoc genus prælium committunt.

Pyrrhicam saltauerunt.) πυρρική, est genus saltationis Græcæ, quam Pyrrhus in Creta instituit primus propter exercédos iuuenes ad militariæ disciplinæ: facit enim hic motus corporis ad uitâda uulnera et infligêda. Strabo est testis, et Plato 7 lib de leg. Orchestram.) ὀρχήστρα est, locus est in theatro, in quo magistratus & nobiliores solebant federe. Vide Vitruium lib. 5. à saltando sic dicitur, nam ὀρχήστρα est salto.

Ordinatio anni & fastorum dierum per eum.

facta.

CAP. XL.

Conuersus hinc ad ordinandum Reipublicæ statum, fastos correxit, iam pridem uitio Pontificum per intercalandi licentiam aded turbatos, ut neque mensium serix æstate, neque uindemiarum autumnino competerent. Annumq; ad cursum solis accommodauit, ut trecentorum sexagintaquinque dierum esset: & intercalario mense sublato, unus dies quarto quoque anno intercalaretur. Quod autem magis in posterum è Calendis Ianuarijs nobis temporum ratio congrueret, inter Nouembrem ac Decembrem mensum, interiecit duos alios: fuitq; is annus, quo hæc consisto

constituebantur XV. mensium, cum intercalario, qui ex consuetudine in eum annum inciderat.

Fastos. Sūt dies quibus sine piaculo licebat loqui pratori tria hæc uerba, do, dico, addico. Hinc libri fastorum sunt de festiuitatum causis.

Senatus ac officiorum supplementum & ordinatio.

CAP. XLI.

Senatum suppleuit, Patritios allegit: Prætorum, Aedilium, Quæstorum, minorū etiam magistratuum numerum ampliavit: nudatos opere censorio, aut sententia iudicum de ambitu condemnatos restituit. Comitia cum populo partitus est, ut exceptis consulatus competitoribus, de cætero numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus uellet, pronunciarentur: pro parte altera, quos ipse dedisset. Et edebat per libellos † circum tribus missos scriptura breui: *Cæsar Dictator illi tribui. Commendo uobis illum, & illum, ut uestro suffragio suam dignitatem teneant.* Admisit ad honores & proscriptorum liberos. Iudicia ad duo genera iudicum redegit, equestris ordinis, ac senatorij. Tribunos ærarios, quod erat tertium, sustulit. Recensum populi, nec more, nec loco solito, sed uicatim per dominos insularum egit, atq; ex uiginti trecentisq; millibus accipientium frumentum è publico, ad centum quinquaginta retraxit. Ac ne q̄ noui cœtus recensionis causa moueri quãdoq; possent, instituit quotannis in demortuorum locū ex

* Alias, cui que tribui

D his

Recensiti
à recésio.
Subforti-
tio profus
fectio.

his recensiti non essent, subfortitio à Prætorè fieret.

Sanctiones per eum editæ. CAP. XLII.

Octoginta autem ciuium millibus in transma-
rimas colonias distributis, ut exhaustæ quoq;
urbis frequentia suppeteret, sanxit, ne quis ciuis maior
annis uiginti, minor uè decem, qui sacramento non te-
neretur, plus triennio continuo Italia abesset, neu quis
Senatoris filius, nisi contubernalis aut comes magistra-
tus iperegre proficisceretur: ne uè hi qui pecuariam
facerent, minus tertia parte puberum ingenuorum in-
ter pastores haberent. Omnesq; medicinam Romæ pro-
fessos, & liberalium artium doctores, quò libentiùs &
ipsi urbem incolerent, & cæteri appeterent, ciuitate
donauit. De pecunijs mutuis, disiecta nouarum tabula-
rum expectatione (quæ crebro mouebatur) decreuit
tandem, ut debitores creditoribus satisfacerent per
æstimationem possessionum, quanti quasq; ante ciuile
bellum cõparassent, deducta summa æris alieni, si quid
usuræ nomine numeratum, aut perscriptum fuisset: qua
conditione quarta pars ferè crediti deperibat. Cuncta
collegia præter antiquitus constituta detraxit. Poenas
facinorum auxit: & quum locupletes eò facilius scelere
se obligarent, quòd integris patrimonijs exulabãt, par-
ricidas (ut Cicero scribit) bonis omnibus, reliquos di-
midia parte mulctauit.

Parricidas.) Dicunt non solum qui patrè occidit,
sed parem, nimirum hominem suum proximum. id
quòd

quod uox ipsa indicat, & notauit hoc Priscianus.

Labor eius in iure dicendo, & leges per eum
edite

CAP. XLIII.

Ivs laboriosissimè ac seuerissimè dixit. Repetun-
darum conuictos etiam ordine senatorio mouit.

Diremit nuptias Prætorij uiri, qui digressam à ma- Digressa
rito post biduum statim duxerat, quamuis sine pro- dicitur,
bri suspicione. Peregrinarum mercium portoria in- quæ diuor
stituit. Lecticarum usum, item conchylia & uestis, & marito fe-
margaritarum, nisi certis personis & ætatibus, perq; cit.
certos dies, ademit. Legem præcipuè sumptuariam
exercuit, dispositis circa macellum custodibus, qui ob-
sonia contra uetitum retinerent, deportarentq; ad se,
submissis nonnunquam licitoribus atq; militibus, qui,
si qua custodes fefellissent, iam apposita è triclinio au-
ferrent.

Repetundarum.) Cum repetitur quæ ablata sunt,
repetundarum rerū agitur, aut de repetūdis. Proprie
autē dicitur de pecunia furata in magistratu, de offi-
cioue publico.

Conchylia.) Κογχύλια, est species piscis ex genere
concharum, teste Plin. lib. 9. in mari Assyrico & Medi-
co. Muricem etiam uocāt, & sarram, ex huius concha
succus colligitur ad uestes tingendas.

Festinatio eius in ornāda urbe, & imperio am-
pliando.

CAP. XLIIII.

NAm de ornanda instruendaq; urbe, item de Destina-
tuendo, ampliandq; imperio plura ac maio- bat absol-
ra in dies destinabat. In primis Martis templum, posuit.

D 2 quans

quantū nusq̄ esset extruere, repleto & cōplanato lacu, in quo nauarchia spectaculum ediderat, theatrūq; summæ magnitudinis Tarpeio monti accubans. Ius ciuile ad certum modū redigere, atq; ex immensa diffusaq; legum copia, optima quæq; & necessaria in paucissimos conferre libros. Bibliothecas Græcas & La-

Quas ma-
ximas, pro-
quàm ma-
ximas, si-
ue quan-
tas maxi-
mas.

tinias, quas maximas posset, publicare, data M. Var-
roni cura comparandarum ac dirigendarum. Siccare
Pontinas paludes: emittere Fucinum lacum: uiam mu-
tare: à mari supero per Apēnini dorsum, ad Tiberim
usq; perfodere Isthmum: Dacos, qui se in Pontum &
Thraciam effuderant, coercere: mox Parthis inferre
bellum per Armeniā minorē, nec nisi antè expertos
aggredi prælio. Talia agentē atq; meditantem mors
preuenit: de qua prius quàm dicam, ea quæ ad formā
& habitum, & cultum, & mores, nec minus quæ ad ci-
uilia & bellica eius studia pertineant, non alienum
erit summatim exponere.

Statura & cultus corporis eius. CAP. XLV.

Fuisse traditur excelsa statura, colore candido,
teretibus membris, ore paulò pleniore, nigris ue-
getisq; oculis, ualetudine prospera: nisi quòd tempore
extremo repentē animo linq̄i, atq; etiam per som-
nium exterreri solebat. Comitiali quoq; morbo bis
inter res gerendas correptus est. Circa corporis cu-
ram morosior, ut non solum tonderetur diligenter ac
raderet

raderetur, sed uelleretur etiam: ut quidam exprobrauerunt. Caluitij uerò deformitatem iniquissimè ferre, obrectatorū sæpè iocis obnoxia expertus: ideoq; & deficientem capillum reuocare à uertice assueuerat: & ex omnibus decretis sibi à senatu populoq; honoribus, non aliud aut recepit aut usurpauit libentius, q̄ ius laureæ coronæ perpetuò gestandæ. Etiam cultu notabilem ferunt. Vsum enim lato clauo ad manus fibriato, nec ut unquam aliter q̄ super eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura: unde emanasse Syllæ dictū constat, optimates sæpius admonentes, ut malè præcinctum puerum cauerent.

Comitali.) Est morbus facer uulgo uocatus, quò subito homo concidit, & ædit ore spumam.

Habitatio eius, & statuta uillarum eius.

CAP. XLVI.

Habitauit primò in Suburra modicis ædibus: post autem Pontificatum maximum, in sacra uia domo publica. Munditiarum lauticiarumq; studiosissimum multi prodiderunt. Villam in Nemorensi à fundamentis inchoatam, magnoq; sumptu absolutam, quia non tota ad animam ei responderat, totam diruisse, quanquam tenuem adhuc & obratum: in expeditionibus tessellata, & sectilia pauimenta circumtulisse.

Cupiditas eius circa gemmas, margaritas, &

SA C. SVETONII TRANQ.

signa operis antiqui. CAP. XLVII.

Britanniam petisse spe margaritarum, quarum
amplitudinem conferentem, interdum sua ma-
nu exegisse pondus. Gemmas, torcumata, signa, tabu-
las operis antiqui semper animosissime comparasse:
seruitia recentiora politioraq; immenso precio, & cu-
ius ipsum etiam puderet, sic ut rationibus ueraciter
inferri.

Compa-
rare pro
emere.

Torcumata. ἰσχυρὰ est opus cælatum & bene ex-
politum: τορμῶν enim significat sculpo.

De conuiujs, & domestica disciplina suorum.

CAP. XLVIII.

Conuiuatum assidue per prouincias duobus tri-
clinijs: uno quo sagati palliati ue, altero togati
cum illustrioribus prouinciarum discumberent. Do-
mesticam disciplinam in paruis ac maioribus rebus di-
ligenter adeo, seueriq; rexit, ut pistorem, alium quam
sibi panem, conuiujs subijcientem, compedibus uinxe-
rit: libertam gratissimum ob adulteratam equitis Ro-
mani uxorem (quamuis nullo querente) capitali pena
affecerit.

Adultera-
ta, pro ad-
ulterio stu-
prata.

Pudicitia eius prostrata apud Nicomedem regem.

CAP. XLIX.

Pudicitie eius famam, nihil quidem preter Ni-
comedis contubernium læsit, graui tamen & pe-
renni opprobrio, & ad omnium conuicia exposito.

Omitto

Ommitto Calui Licinij notissimos uersus:

Bithynia, quicquid & prædicator Cæsaris
Vnquam habuit.

Prætereo actiones Dolabella, & Curionis patris: in quibus eum Dolabella pellicem reginæ, spondam interiorum regiæ lecticæ, ac Curio stabulum Nicomedis, & Bithynicum fornicem dicunt. Missa etiam facio edicta Bibuli, quibus proscripsit collegam suum, Bithynicam reginam, eiq; regem antea fuisse cordi, nunc esse regnum. Quo tempore, ut M. Brutus refert, Octavius etiam quidam, ualetudine mentis liberius dicax, conuentu maximo quum Pompeium regem appellasset, ipsum reginam salutauit. Sed C. Memnius etiam ad cyathum & uinum Nicomedi stetit, obiecit cum reliquis exoletis pleno conuiuio ac cubantibus nonnullis urbicis negotiatoribus, quorum refert nomina. Cicero uerò non contentus in quibusdam epistolis scripsisse, à satellitibus eum in cubiculum regium eductum, in aureo lecto, ueste purpurea decubuisse, floremq; ætatis è Venere orti, in Bithynia contaminatum: quodam etiam in senatu defendenti enixè causam filie Nicomedis, beneficiaq; regis in se commemoranti, remoue (inquit) isihæc oro: quando notum est, & quid ille tibi, & quid illi tu dederis. Gallico denique triumpho milites eius inter cætera carmina, qualia currum prosequentes,

D 4 iocu

56 C. SVETONII TRANQ.
ioculariter canunt: etiam vulgatissimum illud pronun-
ciauerunt:

Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem.
Ecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias:
Nicomedes non triumphat, qui subegit Cæsarem.

Luxuria & libido eiusdem.

CAP. L.

PRONUM & sumptuosum in libidines fuisse con-
stans opinio est, plurimasq; & illustres fœminas
corrupisse, in quibus Posthumiã Seruij Sulpitij, Loliã
Auli Gabini, Tertullam M. Crassi, etiam Cn. Pompeij
Mutiam. Nam certè Pompeio, & à Curionibus patre
& filio, & à multis exprobratum est, quòd cuius cau-
sa post tres liberos exegisset uxorem, & quem ge-
mens Aegysthum appellare consueſset, eius postea fi-
liam potentia cupiditate in matrimonium recepisset:
sed ante alias dilexit M. Bruti matrem Seruili-
am: cui & proximo suo consulatu sexagies H. S. mar-
garitam mercatus est: & bello ciuili super alias do-
nationes, amplissima prædia ex auctionibus hæc
† minimo addixit. Quum quidem plerisque uilitatem
mirantibus, sacetissimè Cicero, quo melius (inquit)
emptum sciatis, Tertia deducta est: existimabatur e-
nim Seruilia, etiam filiam suam Tertiam Cæsari con-
ciliare.

* Beroal.
summo le-
gendum
putat.

Aegysthum.) Quì fuit adulterio uxoris Agamen-
nonis

nonis nobilitatus. De quo Ovidius: Quæritur Aegyptus quare sit factus adulter: In promptu causa est, desidiosus erat.

Luxuria eius in provinciales matronas.

CAP. LI.

NE provincialibus quidem matrimonij abstinentiis, vel hoc disticho apparet, iactato æque a militibus per Gallicum triumphum:

Urbani servate uxores, moechum caluum adducimus. * Alias, et Auro in Gallia † stuprum emisti: hic sumpsisti nuda futuisti: ;
tuum.

Luxuria eius in varias reginas.

CAP. LII.

Dilexit & reginas, inter quas Eunoën Mauriæ Manciniam Bogudis uxorem: cui, maritoq; eius plures. Nel. Naso legit.
rima & immensa tribuit, ut † Vasa scripsit: sed maxime Cleopatram: cum qua & conuiuia in primam lucem saepe protraxit, & eadem naue thalamego penè Aethiopia tenus Aegyptum penetrauit, nisi exercitus sequi recusasset. Quam denique accitam in urbem, non nisi maximis honoribus, præmijsq; auctam remisit, filiumq; natum appellare nomine suo passus est. Quem quidem nonnulli Græcorum similem quoque Caesaris & forma & incessu tradiderunt. M. Antonius agnitum etiam ab eo, senatui affirmavit, quæ scire C. Martium, & C. Oppium reliquosq; Caesaris amicos: quorum C. Oppius, quasi planè defensione,

Libri editi, non est: pro eo quod est libro edito testatus est.

ac patricinio res egeret, librum edidit, non esse Cæsaris filium, quem Cleopatra dicat. Helius Cinna Trib. Pleb. plerisque confessus est, habuisse se scriptam paratamque legem, quam Cæsar ferre iussisset, quoniam ipse abesset, uti uxores liberorum querendorum causa, quas, & quot ducere uellent, liceret. Ac ne cui dubium omnino sit, & impudicitiam eum, & adulteriorum flagrasse in infamia, Curio pater, quadam eum oratione, omnium mulierum uirum, & omnium uirorum mulierem, appellat.

Parfimoniam eius in cibo & potu.

CAP. LIII.

Indifferens ro eo, qui non disceruit aut curat.

Vini parcissimum, ne inimici quidem negauerunt. Verbum M. Catonis est, Vnum ex omnibus Cæsarem, ad euertendam Rempu. sobrium accessisse. Nam circa uictum C. Oppius adeo indifferentem docet, ut quondam ab hospite conditum oleum, pro uiridi appositum, aspernatis cæteris, solum etiam largius dicat appetisse, ne hospitem aut negligentiam, aut rusticitatis uideretur arguere.

Rapacitas eius. CAP. LIIII.

Absinentiam neque in imperijs, neque in magistratibus prestitit. Ut enim quidam monumentis suis testati sunt, in Hispania à proconsule, & à socijs pecunias accepit emendicatas in auxilium æris alieni: & Lusitanorum quædam oppida, quanquam

nee

nec imperata detrectarent, & aduenienti portas pate-
 facerent, diripuit hostiliter. In Gallia sana templaq;
 deum donis referta expilauit: urbes diruit, sepius ob
 praedam, quam ob delictum: unde factum, ut auro abun-
 daret, ternisq; millibus nummum in libras promerciale
 per Italiam prouinciasq; diuenderet. In primo consu-
 latu tria millia pondo auri furatus e Capitolio, tan-
 tumdem inaurati aeris reposuit. Societates, ac regna
 praetio dedit: ut qui uni Ptolemaeo propè sex millia ta-
 lentorum suo Pompeijq; nomine abstulerit, postea ue-
 rò euidētissimis rapinis, ac sacrilegijs, & onera bel-
 lorum ciuiliū & triumphorum, ac munerum sustinuit
 impendia.

Promerciale. Est merces uenditioni expōita. Has
 dictione est usus Colum. lib. 7.

Eloquentia & ars oratoria eiusdem.

CAP. LV.

Eloquentia militari, qua re aut equauit praes-
 tantissimorum gloriam, aut excessit. post accu-
 sationem Dolabellae, haud dubie principibus patro-
 nis annumeratus est. Certè Cicero ad Brutum ora-
 tores enumerans, negat se uidere cui Caesar debeat
 cedere: aitq; eum elegantem, splendidam quoque,
 ac etiam magnificam, ac generosam quodammodo
 rationem dicendi tenere: & ad Cornelium Nepo-
 tem de eodem ita scripsit: Quid? oratorum quem
 huic

huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? Quis sententijs aut acutior, aut crebrior? Quis uerbis aut ornator, aut elegantior? Genus eloquentiæ duntaxat adolescens adhuc Strabonis Cesaris secutus uidetur; cuius etiam ex oratione, quæ inscribitur pro Sardinia, ad uerbum nonnulla transtulit in diuinationem suam. Pronunciassse autem dicitur uoce acuta, ardenti motu, gestuq; non sine uenustate. Orationes aliquas reliquit, inter quas temerè quædam feruntur pro Q. Metello: quam non immerito Augustus existimat magis ab actuarijs exceptam, malè subsequenter uerba dicentis, quam ab ipso editam. Nam in quibusdam exemplaribus inuenio, ne inscriptam quidem pro Metello, sed quam scripsit Metello, quum ex persona Cesaris sermo sit Metellum, seq; aduersus communium obrectatorum criminationes purgantis. Apud milites quoq; in Hispania, idem Augustus orationem esse uix ipsius putat, quæ tamen duplex fertur: una quasi priore habita prælio; altera posteriore, quo Asinius Pollio, ne tempus quidem concionandi habuisset eum dicit, subita hostium incurfione.

Actuarijs. Actuarius notarius est qui acta excipit. Seneca: Multum uiua uox facit, nõ quidem ea quæ alienis uerbis cõmodatur, & actuarij uice fungitur,

Libri, cõmentaria & epistole per eum editæ,

CAP. LVI,

Reli-

Actuarij.
ab actis.
Subsequi,
pro ^{uox} ^{uox} ^{uox}
uox

Reliquit & rerum suarum commentarios, Gallicis, civilisq; belli Pompeiani. Nam Alexandri, Africisq; & Hispaniensis, incertus autor est. Alij enim Oppium putant, alij Hircium: qui etiam Gallici belli nouissimum, imperfectumq; librum suppleuerit. De commentarijs Caesaris Cicero in eodem libro sic refert: Commentarios scripsit ualde quidem probandos: nudi sunt, recti, & uenusti, omni ornatu orationis, tanquam ueste detracta: sed dum uoluit alios habere paratam, unde sumerent, qui uellent scribere, historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui illa uolunt calamistris inurere, sanos quidem homines a scribendo deterruit. De eisdem commentarijs Hircius ita praedicat: Adeo probantur omnium iudicio, ut praerepta, non praebita facultas scriptoribus uideatur. Cuius tamen rei maior nostra, quam reliquorum est admiratio. Caeteri enim quam bene atq; emendate, nos etiam quam facile atque celeriter eos perscripserit, scimus. Pollio Asinius parum diligenter, parumq; integra ueritate compositos putat: quum Caesar pleraque & quae per alios erant gesta, temere crediderit, & quae per se uel consulto, uel etiam memoria lapsus, perperam ediderit: Existimatq; rescripturum, & correcturum fuisse. Reliquit & de An-
 logia libros duos, & anticatonnes totidem, & praerepta
 rea poema quod inscribitur Iter. Quorum librorum
 primos

Commentarij reru
 & comen
 tarij Cesa
 ris.

Rescriptu
 ru, pro
 denuo scri
 pturum

primos in transitu Alpium, quum ex citeriore Gallia
 conuentibus peractis, ad exercitum rediret, sequentes
 sub tempus Mundensis prælij fecit: nouissimum dum
 ab urbe in Hispaniam ulteriorem IIII. & XX. die
 peruenit. Epistolæ quoq; eius ad senatum extant, quas
 primum uidetur ad paginas & formam memorialis li-
 belli conuertisse, quum antea COSS. & duces non ni-
 si transuersa charta scriptas mitterent. Extant & ad
 Ciceronem: item ad familiares domesticis de rebus, in
 quibus si qua occultius perferenda erant, per notas
 scripsit, id est, sic structo literarum ordine, ut nullum
 uerbum effici posset: quæ si quis inuestigare & per-
 sequi uellet, quartam elementorum literam, id est, d,
 pro a, & perinde reliquas commutet. Feruntur & à
 puero, & ab adolescentulo quedam scripta: ut lau-
 des Herculis, tragedia Oedipi: item dicta collectanea:
 quos omnes libellos uetuit Augustus publicari in e-
 pistola, quam breuem admodum, ac simplicem ad Pom-
 peium Marcum, cui ordinandas bibliothecas delegaue-
 rat, misit.

Libellus
 memoria-
 lis, scriptus
 memoriae
 causa pa-
 ratum.

Calamistris inurere.) Calamistrum uel ualopis est
 instrumentum ferreum quo calefacto crispantur capil-
 li, unde calamistratus dicitur, qui hoc modo anulata
 comam habet.

Analogia.) Cicero conuenientiam uocat, Quinti-
 lianus propriè proportionem uocari scribit.

Pueritia & labor eius in armis.

CAP.

CAP. LVII.

Armorum & equitandi peritissimus, laboris ultra fidem patiens erat: in agmine nonnunquam equo, saepius pedibus anteibat, capite detecto, seu sol, seu imber esset. Longissimas vias incredibili celeritate confecit, expeditus meritoria rheda centena passuum milla in singulos dies, si flumina morarentur nando traiciens, uel innixus inflatis utribus, ut persaepe nuntios de se praueuerit.

Conficere vias, pro itinera.

Rheda.) Vocabulum Gallorum esse uolunt. Significat autem carrucam. Sicut & hodie qui non propria iumenta alunt, conductis rhedis meritorijs iter faciunt.

Cautela & audacia eius in expeditionibus.

CAP. LVIII.

In obsecrandis expeditionibus, dubium cautior ne, an audentior. Exercitum neque per insidiosa itinera duxit unquam, nisi perspeculatus locorum situs: neque in Britanniam transiit, nisi ante per se portus & navigationem, & accessum ad insulam explorasset. At idem obsessione castrorum in Germania nunciata, per stationes hostium Gallico habitu penetrauit ad suos. A Brundisio Dyrrhachium inter oppositas classes hyeme transmisit. Cessantibusque copijs, quas subsequi iusserat, cum ad accersendas frustra saepe misisset, nouissime ipse clam noctu paruum nauigium solus obuoluto capite conscendit: neque aut quis esset ante detexit, aut gubernatorem

Transmittere, pro traicere mare.

natorem cedere aduersæ tempestati passus est, quàm penè obrutus fluctibus.

Despectus prodigiorum eidem occurrentium.

CAP. LIX.

Nereligione quidem ulla à quoquam incepto absterritus unquam, uel retardatus est. Quî immolanti ausugisset hostia, profectiõnem aduersus Scipionem & Iubam non distulit. Prolapsus etiam in egressu nauis, uerso ad melius omine, teneo te (inqt) Africa. Ad eludendas autem uaticinationes, quibus felix & inuictum in ea prouincia fataliter Scipionum nomen ferebatur, despectissimum quendam ex Corneliorum genere, cui ad opprobrium uite, Salutioni cognomen erat, secum in castris habuit.

Præliorum assumptio locis & temporibus inopinatis, etiam apud suos.

CAP. LX.

Prelia non tantum destinato, sed ex occasione sumebat, ac sepe ab itinere statim, interdum spurcissimis tempestatibus, quum minimè quis moturum putaret, nec nisi tempore extremo ad dimicandum cunctantior factus est. Quò sæpius uicisset, hòc minus experiendos casus opinans, nihilq; se tantum acquisiturum uictoria, quantum auferre calamitas posset. Nullum nunquam hostem sudit, quem non castris quoque exueret: ita nullum spatium perterritis

dabat

dabat. Ancipiti praelio equos dimittebat, & inprimis suum, quò maior permanendi necessitas impone-
retur, auxilio fugæ crepto.

De equo eius insigni cum pedibus propè huma-
nis.

CAP. LXI.

VTebatur autem equo insigni pedibus propè
humanis, & in modum digitorum unguis fis-
sis: quem natum apud se, quom aruspices imperium or-
bis terræ significare domino pronunciaissent, magna
cura aluit, nec patientē sefforis alterius, primus ascen-
dit: cuius etiam instar pro æde Veneris genitricis po-
stèa dedicauit.

Instar.) Hoc est ad similitudinem equi.

Virtus eius in acie inclinata reparanda.

CAP. LXII.

Inclinatam aciem solus sepè restituit, obsistens fu-
gientibus, retinensq; singulos, & contortis faucibus
conuertens in hostem: et quidem adeò plerunq; trepi-
dos, ut aquilifro moranti cuspide sit cominatus, alius
in manu detinentis reliquerit signum.

Constantia & seueritas eius contra Casium.

CAP. LXIII.

Non minora illa constantiæ eius, imò maiora
etiam indicia fuerunt: Post aciem Pharsali-
cam quum præmissis in Asiam copijs per angustias
Helleponti uictor traïceret, L. Casium partis ad-

E

uerse

Instar
pro signo,
substan-
tiæ.
Pro æde,
ante ædē.

uerſæ cum decem roſtratis nauibus obuium ſibi, neq; reſugit, & cominus tendens, ultro ad deditiõnem hor tatus, ſupplicem ad ſe recepit.

Mira euafio eius nando.

CAP. LXIIII.

Alexandriæ circa oppugnationem pontis e-
ruptione hoſtium ſubita compulſus in ſcaphâ,
pluribus eodem præcipitantibus cum deſiliſſet in ma-
re, nando per ducentos paſſus euafit ad proximam na-
uem, elata leua, ne libelli, quos tenebat, madererent,
paludamentum mordicus trahens, ne ſpolio potiretur
hoſtis.

Paludamentum.) Eſt ornamentum militare, quo
induti paludati exiuerunt imperatores in bellum.
Dicitur autem, teſte Varrone, quod imperator in il-
la ueſte palam fiat in exercitu.

Probatio & diſciplina eius in milites.

CAP. LXV.

Mlitem neq; à moribus, neq; à fortuna proba-
bat, ſed tantum à uiribus, tractabatq; pari ſe-
ueritate, atq; indulgentia. Non enim ubiq; ac ſemper,
ſed cum hoſtis in proximo eſſet, coërcebat: tum maxi-
mè exactor grauiſſimus diſcipline, ut neq; itineris,
neq; prælij tempus denunciaret, ſed paratum & in-
tentum momentis omnibus, quò uellet, ſubito educeret.
Quod etiam ſine cauſa plerunq; faciebat, præcipuè
pluuijs et feſtis diebus. Ac ſubinde obſeruandum ſe ad-
monens

monens, repentiè interdiu uel nocte subtraherat, augebatq; iter, ut serius subsequentes defatigaret.

De eodem.

CAP. LXVI.

Fama uerò hostilium copiarum perterritos non negando minuendo ue, sed insuper amplificando ementiendoq; confirmabat. Itaq; quum expectatio aduentus iubaë terribilis esset, conuocatis ad concionem militibus. Scitote (inquit) paucissimis his diebus regem affuturum cum X. legionibus, equitum XXX. leuis armaturæ C. millibus elephantis CCC. Proinde desinant quidam quærere ultra, aut opinari, mihiq; (qui compertum habeo) credant, aut quidem uetustissima nauæ impositos, quocumq; uento, in quas cumq; terras transiubeo aucti.

Coërtio & cultus militum eius.

CAP. LXVII.

Delicta neque obseruabat omnia, neque pro modo exequabatur, sed desertorum ac seditiosorum & inquisitor & punitor accerrimus, conuiebat in cæteris. Ac nonnunquam post magnam pugnam atque uictoriam remisso officiorum munere, licentiam omnem passim lasciuiendi permittebat, iactare solitus, milites suos etiam unguentatos bene pugnare posse: nec milites eos pro concione, sed blandiori nomine commilitones appellabat; habebatq;

batq; tam cultos, ut argento & auro politis armis ornaret, simul & ad speciem, & quò tenaciores eorum in prælio essent metu dani. Diligebat quoq; usq; adeo, ut audita clade Tituriana, barbam capillūq; summiserit, nec antè dempserit, quàm uindicasset. Quibus rebus & deuotissimos sibi, & fortissimos reddidit.

Amor & fidelitas militum ad eum.

CAP. LXVIII.

Ingresso ciuile bellum, centuriones cuiusq; legionis singulos equites è uiatico suo obtulerunt, et uniuersi milites gratuitam et sine frumento stipendiūq; operam, quon tenuiorum tutelam locupletiores in se contulissent: neq; in tam diuturno spatio quisquam omnino desciuit, pleriq; capti concessam sibi sub condicione uitam, si militare aduersus eum uellent, recusarunt. Famem & cæteras necessitates non quum obsiderentur modo, sed etiam si alios ipsi obsiderent, tantoperè tolerabant, ut Dyrrachina munitione Pompeius, uiso genere panis ex herba (quo sustinebantur) cum feris sibi rem esse dixerit, amoueriq; ocys, nec cuiquam ostendi iusserit, ne patientia et pertinacia hostis, animi suorum frangerentur. Quanta fortitudine dimicauerint, testimonio est, quòd aduerso semel apud Dyrrachium prælio, pœnam in se ultro depoposcerūt, ut consolandos eos magis imperator, quàm puniendos habuerit. Cæteris prælijs innumeræ aduersariorum co-

pias multis partibus ipsi pauciores facile superauerunt. Deniq; una sexta legionis cohors praeposita castello, quatuor Pompeij legiones per aliquot horas sustinuit, penè omnis confixa multitudine hastilium sagittarum, quarum C. ac XXX. millia intra uallum reperta sunt. Nec mirum, si quis singulorum facta respiciat, uel Casij Scæuæ centurionis, uel C. Acilij militis, ne de pluribus referam. Scæua excusso oculo, transfixus femore & humero C. & XX. ictibus scuto perforato, custodiam portæ commissi castelli retinuit. Acilius nauali ad Masiliam prælio, iniecta in puppem hostium dextra, & abscissa, memorabile illud apud Græcos Cynegeri exemplum imitatus, transfiliuit in nauem, umbone obuios agens.

Umbone.) Umbone est media pars clypei quæ eminet. Quanquã aliquãdo pro toto clypeo ponatur, ut hoc loco, & apud Liuium: Gallū umbone decurbat.

Labor eius contra seditionem militarem.

CAP. LXIX.

Seditionem per decem annos Gallicis bellis nullam omnino mouerunt, ciuilibus aliquas: sed ut celeriter ad officium redierint, nec tam indulgentia ducis, quàm auctoritate. Non enim cessit unquam tumultuantibus, atque etiam obuiam semper ijt, & nonam quidem legionem apud Placentiam, quanquam adhuc in armis Pompeius esset, totam cum ignominia missam fecit, ægre que post multas & supplices preces,

nec nisi exacta de fontibus pœna, restituit.

Facilis reconciliatio militum iratorum.

CAP. LXX.

DECUMANOS autem Romæ cum ingentibus mînis, summoq; etiam urbis periculo missionem & præmia flagitantes, ardente tunc in Africa bello, neq; adire cunctatus est, quanquàm deterrentibus amicis, neq; dimittere: sed una uoce qua Quirites eos pro militibus appellarat, tam facîle circumegit & flexit, ut ei milites esse confestim responderint: & quamuis recusantem ultrò in Africam sint secuti: ac sic quoq; seditiosissimum quenq; & prædæ & agri destinati tertia parte multauit.

Fides & studium eius erga clientes.

CAP. LXXI.

STUDIUM & fides erga clientes ne iuueni quidem defuerunt. Masintham nobilem iuuenem, quem aduersus Hiempsalem regem tam enixè defendisset, ut Iubæ regis filio in altercatione barbam inuasert, stipendiarium quoque pronunciatum, & abstrahentibus statim eripuit, occultauitq; apud se diu, & mox ex prætura proficiscens in Hispaniam, inter officia statim prosequentium, fascesq; licetorum lectica sua auexit.

Cultus & dilectio amicorum eius.

CAP.

Amicos tanta semper facilitate indulgentiaq; tractavit, ut C. Oppio comitanti se per syluestre iter, correptoq; subita ualetudine, & in diuersorio loco, quod unum erat, cesserit, & ipse humi ac sub dio accubuerit. Iam autem rerum potens, quosdam etiam infimi generis ad amplissimos honores prouexit, quum ob id culparetur, professus est palam, si grassatorum & sicariorum ope in tuenda sua dignitate usus esset, talibus quoq; se parem gratiam relaturum.

Odiorum facilis remissio eiusdem.

Simultates contra nullos tam graues excepit unquam, ut non occasione oblata libens deponeret. C. Memmij, cuius asperrimis orationibus, non minore acerbitate rescripserat, etiam suffragator mox in petitione consulatus fuit. C. Caluo post famosa epigrammata de reconciliatione per amicos agenti, ultero ac prior scripsit. Valerium Catullum, à quo sibi uersiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimulauerat, satisfacientem eadem die adhibuit coenae: hospitioq; patris eius, sicut cōsueuerat, uti perseuerauit.

Stigmata.) A si(w pūgo, est nota que inuritur. Per-

72 C. SVETONII TRANQ.
translationem hoc loco ponitur pro nota animi, &
infamia.

Lenitas & mansuetudo eius in ulciscendo iniurias illatas.

CAP. LXXIII.

SED & in ulciscendo natura lenissimus. Piratas, à quibus captus est, quum in deditionem rede gisset (quoniam suffixurum se cruci antè iurauerat) iugulari prius iussit, deinde suffigi. Cornelio Phagita, cuius quondam nocturnas insidias æger ac latens, ne perduceretur ad Syllam, uix premio dato euaserat, nunquã nocere sustinuit. Philemonem à manu seruum, qui necem suam per uenenum inimicis promiserat, non grauius quàm simplici morte punijt. In P. Clodium Pompeiæ uxoris sue adulterum, atq; eadem de causa pollutarum ceremoniarum reum testis citatus, negauit se quicquam comperisse: quamuis & mater Aurelia, & soror Iulia, apud eosdem iudices, omnia ex fide retulissent: interrogatusq; cur igitur repudiasset uxorem: quoniam, inquit, meos tam suspicione, quàm crimine iudico carere oportere.

Sustinuit nocere, pro uoluit siue animum induxit, aut certe potuit, ut Græci ἰδὲ μὲν ἄνθρωποι ἄνθρωποι ἄνθρωποι dicunt.

Moderatio & clementia eiusdem.

CAP. LXXV.

Moderationem uero, clementiam que, tum in administratione, tum in uictoria belli ciuicis admirabilem exhibuit. Denunciante Pompeio pro hosti-

hostibus se habiturum, qui Reip. defuissent, ipse medios & neutrius partis, suorum sibi numero futuros pronunciauit. Quibus autem ex commendatione Pompeij ordines dederat, potestatem transeundi ad eum omnibus fecit. Motis apud Hilerdam de ditionis conditionibus, quum assiduo inter utrasq; partes usu atq; commercio, Afranius ac Petreius deprehensos intra castra Iulianos subita pœnitentia interfecissent, admissam in se perfidiam non sustinuit imitari. Acie Pharsalica proclamauit, ut ciuibus parceretur: deincepsq; nemini non suorum, quem uellet unum, partis aduersæ seruare cœcessit: nec ulli perijsse, nisi in prælio reperiuntur, exceptis duntaxat Affranio & Fausto, & L. Cesare iuene, ac ne hos quidem uoluntate ipsius interemptos putant. Quorum tamen & Affranius & Faustus priores post impetratam ueniam rebellauerunt, & Caesaris libertis seruisq; eius ferro & igni crudelem in modum enectis, bestias quoq; ad munus populi comparatas contrucidauerant. Denique tempore extremo etiam quibus nondum ignouerat, cunctis in Italiam redire permisit, magistratusq; & imperia capere. Sed & statuas L. Syllæ atq; Pompeij, à plebe dissectas reposuit. Ac si qua posthac, aut cogitarentur grauius aduersus se aut dicerentur, inhibere maluit, quàm uindicare. Itaq; & detectas coniurationes, conuentusq; nocturnos, non ultra arguit, quàm

ut edito ostenderet esse sibi notas: & acerbe loquentibus satis habuit pro concione denunciare, ne perseuerarent. Auliq; Cecinnæ criminosisimo libro, & Pitholai carminibus maledicentissimis, laceratam existimationem suam, ciuili animo tulit.

Ciuili animo. Non rustico, non irato & reru omnium imperito. Contra faciunt qui nihil ferre didicerunt, itatim ad ultionem & arma ueniunt.

Abusus dominationis & potestatis eiusdem.

CAP. LXXVI.

Prægrauant abso-
lutè pro
præpol-
lent, siue
præpõe-
rant.

PRægrauant tamen cætera facta dictaq; eius, ut & abusus dominatione, & iure casus existimetur. Non enim honores modo nimios recepit, ut continuum consulatum, perpetuam dictaturam, præfecturamq; morum, insuper prænomen imperatoris, cognomen patris patriæ, statuam inter reges, suggestum inter orchestra, sed & ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est: sedem auream in curia, & pro tribunali thesauram & ferculum Circensi pompa, templa, aras, simulachra iuxta deos, puluinar, flaminem, lupercos, appellatione mensis è suo nomine, ac nonnullos honores ad libidinem cepit, & dedit. Tertium & quartum consulatum titulo tenuis gessit, contentus dictaturæ potestate decreta, cum consulatibus simul, atq; utroq; anno binos consules substituit sibi inter nos nouissimos menses, ita ut medio tempore comi-
tia

tia nulla habuerit, præter Tribunorum & Aedilium plebis, præfectosq; pro prætoribus constitucrit, qui præsentē se res urbanas administrarent. Pridie autem Cal. Ianua. repentina cons. morte cessantem honorem in paucas horas petenti dedit. Eadem licentia spretō patriæ more, magistratus in plures annos ordinauit. Decem Prætorijs uiris consularia ornamenta tribuit. Ciuitate donatos, & quosdam è semibarbaris Gallorum recepit in curiam. Præterea monetæ publicisq; uectigalibus peculiares seruos præposuit. Trium legionum, quas Alexandriæ relinquebat, curam et imperium Rufioni liberti sui filio suo exoleto, demandauit.

medio tē-
pore pro
muta qd, si-
ue interea

Thenfam.) Erat uehiculum quo sacra deorum in festis, ludis, & triumphis consueuerant portari.

Lupercos.) Lupercal locus Romæ sub palatino monte sacer fuit. Quidam putant ita appellatum à Lupa quæ fertur Romulum & Remum uberibus illic aluisse. Hinc Luperci dicti sunt eius loci & sacrorum sacerdotes.

Abusus & arrogatio eiusdem.

CAP. LXXVII.

Nec minoris impotentie uoces propalam edebat, ut T. Amprius scribit: nihil amplius Rempublicam esse, appellationem modo sine corpore ac specie: Syllam nescisse literas, qui dictaturam deposuerit: debere homines consideratius iam loqui secum,

cum, ac pro legibus habere quæ dicat. Eoq; arrogantia progressus est, ut aruspice tristia, & sine corde exta sacro quodam nunciante, futura diceret letiora, quum uellet, nec pro ostento ducendum, si pecudi cor defuisset.

Inciuitas & indignatio eiusdem.

CAP. LXXVIII.

*Alias, ex
itiabilē.

*ali. | plu-
rimis.

Verum præcipuam & ⁺ inexpressibilem sibi inuidiam hinc maximè mouit: Adeuntes se cum pluribus honorificentissimisq; decretis, uniuersos P.C. sedens pro æde Veneris genetricis excepit. Quidam putant retentum à Cornelio Balbo, quum conaretur assurgere: alij ne conatum quidem omnino, sed etiã admonentem C. Trebatium ut assurgeret, minus familiariter uultu respexisse. Idq; factum eius tanto intolerabilius est uisum, quod ipse triumphanti, & subsellia tribunitia præteruehenti sibi unum è collegio Pontii Aquilam non assurrexisset, adeò indignatus sit, ut proclamauerit: Repete ergo à me Aquila Rempublicam Tribunus: & nec destiterit per continuos dies quicquam cuiquam nisi sub exceptione polliceri, si tamen per Pontium Aquilam licuerit.

De eodem & regni affectatione.

CAP. LXXIX.

Adiecit ad tam insignem despecti senatus contumē-

tuoniam, multo arrogantius factum. Nam quam sacrificio Latinarum reuertente eo inter immodicas ac novas populi acclamationes, quidam è turba statuæ eius coronam lauream candida fascia præligatam imposuisset, & Trib. plebis Epidius Marullus Cæsetiusq; Flavius coronæ fasciam detrahi, hominemq; duci in vincula iussissent, dolens seu parum prosperè motam regni mentionem, siue, ut ferebat, ereptam sibi gloriam recusandi, Tribunos grauitè increpitos potestate priuauit: neque ex eo infamiam affectati etiam regij nominis discutere uoluit: quanquàm & † plebi regem se salutanti, Cæsarem se, non regem esse responderit: & * Aliis, plebeio, Lupercalibus, pro rostris à CO S. Antonio admotum sæpius capiti suo diadema repulerit, atque in Capitolium Ioui Opt. Max. miserit. Quinetiam uaria fama percrebuit migraturum Alexandriam uel Ilium, translatis simul opibus imperij, exhaustaq; Italia, delectibus & procuratione urbis amicis permissa. Proximo autem senatu percrebuit fama L. Cottam XV. uirum sententiam dicturum: ut quoniam libris fatalibus contineretur Parthos, nisi à rege non posse uinci, Cæsar rex appellaretur.

Latinarum.) Latina, Ioui constituta fuerunt sacrificia sic uocata, quod Latinis licebat carnem ex Albano monte inhis petere.

Conspiratorum coniuratio in eum,

CAP.

QUAE causa coniuratis maturandi fuit destinata negotia, ne assentiri necesse esset. Consilia igitur dispersim antea habita, & quae saepe bini terni uel ceperant, in unum omnes contulerunt, ne populo quidem iam praesenti statu leto, sed clam palamque detrectante dominationem, atque assertores flagitante. Peregrinis in senatum allectis libellus propositus

Bonum factum pro recte fiet.

est. Bonum factum, ne quis senatori nouo curiam monstrare uelit, & illa uulgo canebantur: Gallos Caesar in triumphum ducit: ijdem in curia Galli brachias deposuerunt, latum clauam sumpserunt. Q. Maximo suffecto trimestriq; COS. theatrum introeunte, quam licitor animaduerti ex more iussisset, ab uniuersis conclamatum est: non esse consulem eum post remotos Caetium & Marullum Tribunos, reperta sunt proximis comitijs complura suffragia, COS. eos declarantium. Subscribere quidam L. Bruti statuæ, Vtinam uiueres. Item ipsius Caesaris statuæ.

Trochaiti.

Brutus, quia reges eiecit, COS. primus factus est. Hic quia COS. eiecit, rex postremo factus est. Conspiratum est in eum à LX. amplius, C. Cassio, Marcoque & Decio Bruto principibus conspirationis, qui primum cunctati, utrum ne illum in campo per comitia tribus ad suffragia uocantem partibus diuisis è ponte deijcerent, atque exceptum trucidarent: an in

Sexaginta amplius, pro plures sexaginta.

* Alias, Decimo

sacra

Sacra uia, uel in aditu theatri adorirentur: postquam senatus Idibus Martijs in Pompeij curiam edictus est, facile tempus & locum prætulerunt.

Brachas.) Brachæ uestes sunt uarij coloris, Galli usi sunt. Hinc brachata Gallia. Quanquã hoc genere uestis usi sint in frigidioribus regionibus omnes.

Prodigia præcedentia mortem eius.

CAP. LXXXI.

SEd Caesari futura cades euidentibus prodigijs denunciata est. Paucos ante menses quam in colonia Capua deducti lege Iulia coloni ad extruendas uillas sepulchra uetustissima disicerent, id quæ eò studiosius facerent, quòd aliquantum uasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant, tabula aenea in monumento, in quo dicebatur Capi conditor Capuæ sepultus, inuenta est, conscripta literis uerbisq; Græcis hac sententia: Quando ossa Capys detecta essent, fore ut Iulo prognatus manu consanguineorum necaretur; magnis que mox Italiæ cladibus uindicaretur. Cuius rei, ne quis fabulosam, aut commentitiam putet, autor est Cornelius Balbus familiarissimus Caesaris. Proximis diebus equorum greges, quos in traiciendo Rubicone flumine consecrarat, ac uagos sine custode dimiserat, comperijt pertinacissimè pabulo abstinere, ubertim que flere. Et immoderantem aruspex Spurina monuit, caueret periculum quod

quod non ultra Martias Idus proferretur. Pridie autē
 eisdem Idus auem regaliolum cum laureo ramulo Pom
 Regalio- peianæ curiæ se inferentem, uolucres uarij generis ex
 lus auis. proximo nemore persecuta, ibidem discerpserunt. Ea
 Nocti illu uerò nocte, cui illuxit dies cædis, & ipse sibi uisus est
 xit dies, per quietem interdum supra nubes uolitare, aliâs cum
 que sequu ta est pro- Ioue dextrâs iungere. Et Calpurnia uxor imaginata
 ximè. est, collabi fastigium domus, maritumq; in gremio suo
 Vxor ima ginata est confodi, ac subitò cubiculi fores sponte patuerunt. Ob
 pro uxori uisum est hæc simul & ob infirmam ualetudinem diu cunctatus
 per som- an se contineret, & quæ apud senatum proposuerat,
 nium. agere differret, tandem Decimo Bruto adhortante ne
 frequentes, ac iam dudum opperientes destitueret, quin-
 ta ferè hora progressus est, libellumq; insidiarum in-
 dicem, ab obuio quodam porrectum, libellis cæteris,
 quos sinistra manu tenebat, quasi mox lecturus com-
 miscuit. Dein pluribus hostijs cæsis, cum litare non
 posset, introijt curiam spreta religione: Spurinamq;
 irridens, & ut falsum arguens, quod sine ulla noxa Iu-
 dus Martiæ adessent: quanquam is uenisse quidem eas
 diceret, sed non præterisse.

Cædes & mors Cæsaris.

CAP. LXXXII.

Asfidentem conspirati, specie officij circum-
 steterunt, ilicoq; Cimber Tullius qui primas
 partes

partes susceperat. quasi aliquid rogaturus propius accessit, renuentiq; & gestu in aliud tempus differenti, ab utroq; humero togam apprehendit: deinde clamantem. Ista quidem uis est, alter Casca aduersum uulnerat paulum infra iugulum: Caesar Cascae brachium abreptum, graphio traiecit: conatusq; profilire, alio uulnere tardatus est. Utq; animaduertit undiq; se strictis pugionibus peti, toga caput obuoluit, simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quod honestius caderet, etiam inferiore corporis parte uelata: atque ita tribus et uiginti plagis confossus est, uno modo ad primam ictum gemitu sine uoce edito: etsi tradiderunt quidam M. Bruto irruenti dixisse, *Ἐ σὺ τίκνον*. Exanimis diffugientibus cunctis aliquandiu iacuit, donec lecticae impositum dependente brachio tres seruuli domum retulerunt: nec in tot uulneribus, ut *† Antistius* ^{† Ali. Antistius.} us medicus existimabat, letale ullum repertum est, nisi quod secundo loco in pectore acceperat. Fuerat animus coniuratis corpus occisi in Tiberim trahere, bona publicare, acta rescindere, sed metu M. Antonij consulis, & magistrum equitum Lepidi, destiterunt.

Testamentum eius recitatum.

CAP. LXXXIII.

Postulante ergo L. Pisone socero, testamentum eius aperitur, recitatur que in Antonij domo, quod.

quod Idibus Septembribus proximis in Lauicano suo fecerat, demandaueratq; uirgini Vestali maxime, Q. Tubero tradidit heredem ab eo scribi solitum ex cōsulatu ipsius primo, usq; ad initium ciuiliis belli, Cn. Pompeium, idq; militibus pro concione recitatum, sed nouissimo testamento tres instituit heredes sororum nepotes. C. Octauium ex do drante, & L. Pinarium, & Q. Pedium ex quadrante. Reliquos in imacera. C. Octauium etiam in familiam nomenq; adoptauit, † pluresq; percussorum in tutoribus filij, si quis sibi nasceretur, nominauit. Decimum Brutum etiam in secundis heredibus. Populo hortos circa Tiberim publice, & uirginitim tricenos sestertios legauit.

Sorum
nepotes,
pro ex so-
roribus
nepotes.
* Ali. ple-
rosq;.

Sestertius
nummus,
genere
masculi-
no.

Sorum nepotes.) Dicuntur proprie nati ex filio uel filia. Nonnunquam posteri dicuntur. Est etiam quando dicitur fratris uel sororis filius, ut hoc loco: est autem intelligendum, sororum nepotes, pro ex sororibus nepotes.

Funereus rokus, & pompa exequiarum eius, cum lu-
tu publico. CAP. LXXXIII.

Funere indicto, rokus extractus est in Martio campo iuxta Iulie tumulum, & pro rostris atriata ædes ad simulachrum templi Veneris genitricis collocata, intraq; lectus eburneus, auro ac purpura stratus, & ad caput trophæum cum ueste, in qua fuerat occisus. Præferentibus munera (quia suffecturus dies non uidebatur) præceptum est, ut omisso ordine quibus

quibus quisq; uellet itineribus urbis, portaret in campum. Inter ludos cantata sunt quaedam ad miserationem & inuidiam cædis eius, accommodata ex Pacuuij Armorum iudicio.

Men' me seruasse, ut essent qui me perderent?

Et ex Electra † Attilij ad similem sententiam. Lat. Accij.

* Alias,

prodationis loco COS. Antonius per præconem pronunciauit Sena. consul. quo omnia ei diuina simul atque humana decreuerat. Item iusiurandum, quo se cuncti pro salute unius astrinxerant, quibus perperâ cædâ se uerba addidit: lectum pro rostris in forum magistratus, & honoribus functi detulerunt. Quem quam pars in Capitolini Iouis cella cremare, pars in curia Pompeij destinaret, repente duo quidam gladijs succincti, ac bina iacula gestantes, ardentibus cæreis succenderunt, confestimq; circumstantium turba uirgulta arida, & cum subsellijs tribunalia, quicquid præterea ad manum aderat, congesit: deinde tibicines & scenici artifices uestem quam ex instrumento triumphorum ad præsentem usum induerant, detractam sibi atque discissam, iniecere flammæ, & ueteranorum militum legionarij arma sua, quibus exculti funus celebrabant: Matrone etiam pleraque ornamenta sua que gerebant, & liberorum bullas atque prætextas. In summo publico luctu exterarum gentium multitudo circumlatim

quo quæq; more lamentata est, præcipueq; Iudæi, qui etiam noctibus continuis bustum frequentarunt.

Bullas.) Bullæ istæ erant rotundæ, cordis humani figura, gerebant ad pectus alligatas pueri, qui ex epithæbis excefferant deponebant. Solebant autem ditiores pueri aureas gestare.

Honores ei mortuo per plebem collati.

CAP. LXXXV.

PLEBS statim à funere ad domum Bruti & Cassij cum facibus tetendit, atq; ægrè repulsa, obuium sibi Helium Cinnam per errorem nominis, quasi Cornelius esset is, quem grauitè pridie concionatum de Cæsare requirebat, occidit: caputq; eius præfixum hastæ, circumtulit. Postea solidam columnam propè XX. pedum lapidis Numidici in foro statuit, scripsitq; PARENTI PATRIÆ. Apud eam longo tempore sacrificare, uota suscipere, controuersias quasdam interposito per Cæsarem iureiurando distrahèrè perseuerauit.

Suspicio quam suis Cæsar reliquit.

CAP. LXXXVI.

Suspicionem Cæsar quibusdam suorum reliquit, neq; uoluisse se diutius uiuere, neq; curasse quòd ualitudine minus prospera uteretur: ideoq; & quæ religiones monerent, & quæ renunciarent amici, neglexisse. Sunt qui putent confisum eum nouissimo illo Sena. COS. ac iureiurando etiam custodias Hispano-

rum cum gladijs inspectantium se remouisse: alij è diuerso opinantur, insidias undiq; imminentes subire semel confessum satius esse, quàm cauere semper. Alij ferunt dicere solitum, non tam sua, quàm R. P. interesse, uti saluus esset: se iam pridem potentia gloriaq; abunde adeptum, Rempub. si quid sibi eueniret, neq; quietam fore, & aliquantò deteriore conditione ciuilia pro satis bella subituram.

Abundè
potentiæ
gloriaq;

Inspectantium.) Hoc est latronum, ut ueteres uocabant, aut, ut nunc nominant, stipatorum.

Genus optatum mortis illatæ per eum.

CAP. LXXXVII.

ILLud planè inter omnes ferè consuit, talem ei mortem penè ex sententia obtigisse: nam & quondam cum apud Xenophontem legisset, Cyrum ultima ualitudine mandasse quedã de funere suo, aspernatus tam lentum mortis genus, subitam sibi celeremq; optauerat: & pridie quàm occideretur, in sermone nato super cœnam apud M. Lepidum, quisnam esset finis uitæ cõmodissimus, repentinum inopinatumq; prætulcrat.

Actas eius, ac stella comata & locus ac dies mortis eius.

CAP. LXXXVIII.

PERijt sexto & quinquagesimo ætatis anno, atq; in deorum numerum relatus est, non ore modò decernentium, sed & persuasione uulgi. Si quidem lu-

Iudis, quos primò consecratos ei heres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit, exorians circa undecimam horam: creditumq; est animã esse Cæsaris in coelum recepti, & hac de causa simulachro eius in uertice additur stella. Curiam in qua occisus est, obstrui placuit: Idusq; Martius parricidium nominari, ac ne unquam eo die senatus ageretur.

Mors occisorum Cæsaris.

CAP. LXXXIX.

Percussorum autem ferè, neq; triennio quisquam amplius supervixit, neq; sua morte defunctus est. Damnati omnes. Alius alio casu perijt, pars naufragio, pars prælio, nonnulli semet eodem illo pugione, quo Cæsarem uiolauerant, interemerunt.

VIVES RUFFALDO SVO S.

acephali. hære he
retici, duay na
tivaray in chri
sto substantia
uogantios.

SVetonium esse acephalum, ut Curtium, ut aliquot orationes Ciceronis, ut nuper etiam Tacitum, dubius potissimum argumentis colligitur: tum quòd non solet gentis ac familiæ originem prætermittere Cæsaris eius, cuius uitam exorditur: de Iulia nulla mentio: quom sit maximè illustris, & memoratu digna: tum quòd in uetustis exemplaribus hoc habetur initium, Annum agens sextum decimum, prætermissio Cæsaris nomine, ut appareat prius fuisse de illo locutum: nos igitur,

igitur, quandoquidem spes non est, quod desideratur fore ut aliquando existat, ex ueterum scriptorum lectione, quantum industria ac studio consequi potuimus, cum locum studiosae iuuentuti expleuimus: si quando id ipsum in lucem prodierit, quod Suetonius scripsit, facilis erit tantuli mei laboris iactura. Suetonij phrasim emulatus sum et observationis diligentiam, cui non satisfecero, nam is haud magnū acceperit damnum exiguae chartulae et breuissimi temporis, quod perdidit nostris legendis. Si cui placuerit, is satis hoc ipso nobis praestiterit: sin displicuerit, ab hoc ueniam petimus audaciae. Dicamus tibi Hyeronime Ruffalde auditorum meorum probissimo ac proinde charissimo, Vale. Louanij 1521.

ADDITA SVETONIO IN VITA

C. Iulij Caesaris, per Viuem.

DE GENTE IVLIA.

Gentem Iuliam pro indubitato creditur ab Iulo Aeneae filio manasse, qui Lauinio relicto Albanam longam condidit, in qua et regnauit. Eo mortuo, quum ad Ascanium Lauinia atque Aeneae filium Latinum redisset regnum, cura sacrorum ceremoniarumque Latinae ac Troianae gentis penes sobolem Iulii mansit, ex qua sunt Iulij, hos cum alijs quibusdam

nobilissimis Latij familijs Tullus Hostilius Romanus rex postquam Alban diruisset, Romam transtulit, ac in partes coaptauit. Sero ad magistratus emerferunt, nempe inter patritios maiorum gentium serè postre-
mi, anno V.C. altcro et trecentesimo Cn. Iulio decem-
uiro legibus scribendis priore eiusce magistratus le-
ctione, omnis dehinc generis honores nacta, mansit
in patritiatu & ordine senatorio, mediocribus opi-
bus, nullo insigniter præstanti uiro, factisq; præclaris
illustrior.

Cæsarum familia.

IN Iulia gente familia fuit Cæsarum, qua ratione con-
ignominis, haud liquet, nec cui primum contigerit.
Nam ante Cæsarem Dictatorem patremq; eius, & a-
uum Iulij Cæsares fuerunt: ut ille qui Punico bello se-
cundo, à Senatu ad Crispinum consulem de Dictatore
dicendo missus est. Cæsares uerò consuevit Romanus
sermo cognominare eos, qui uel cæso matris utero,
uel cum cæsarie nascerentur, uel oculis essent cæsis,
addunt quidam de elephanto in Africa occiso, quem
indigenæ Cæsarem uocent, eamq; ob causam cogno-
men hoc primum auo Dictatoris contigisse. Sed qui
hoc tradunt, infimæ sunt autoritatis, nempe Spartia-
nus & Seruius: neq; enim sola illius progenies ex Iu-
lijs hoc cognomen habuit: sed alij, & ante cum mul-
to, & cum eo gentiles illius plerique. Consules ante

Dicta-

quæ hæc a-
dicitur

indigenæ
indigenæ
indigenæ

Dictatorem fuerunt Sex. Iulius Caesar cum L. Martio Philippo initio belli socialis. Sequenti anno L. Caesar cum Rutilio Lupo, nec ante hos clarus quisquam fuit Caesarum, aut summo magistratu Romae functus, multis post annis consulatum ex eadem familia adeptus est L. Caesar Sex. filius frater patruelis L. Iulij Caesaris, qui Dictatorem progeniuit, hic ad præturam tantum peruenit. Pisis dum manè calciaretur extinctus, nullo manifesto morbo.

Ortus Caesaris & educatio.

Natus est Caesar Romæ, C. Mario & L. Valerio Flacco COSS. ad III. Idus Quintileis, qui mensis post eius mortem lege Antonia Iulius est ea causa dictus, educatus apud Aureliam matrem C. Cotte filiam, & Iuliam Amitam marij coniugem, unde illi patritio amor plebeie factionis, & odium Sylle. Literas Latinas Græcasq; tum & præcepta dicendi edoctus est à M Antonio Gniphone, homine Gallo, qui magno ingenio uir, ac singulari memoria, præterea moribus comis, & natura facilis, primo in ædibus L. Caesaris patris Græcam Latinamq; Grammaticam & Rhetoricam docuit: hinc in suis ipsius, multa discipulorum liberalitate consequutus, quum nunquam pacisceretur de mercede. Fuit Caesar admirabili docilitate, & ad dicendi facultatem appositus. sermo

78. eius Latinus, ex cultus est domestica consuetudine ab Aurelia matre, que pure ac eleganter Romanè loquebatur, ut Mutie, Lelie, Corneliæ, et aliæ primariæ matrone: in quarum familijs insignes oratores extiterunt.

SVETONII TRAN- QVILLI D. OCTAVIUS

Cæsar Augustus.

CAP. I.



ENTEM Octaviam Velitris præcipuam olim fuisse multa declarant. Nam & vicus celeberrima parte oppidi iam pridem Octavius uocabatur, et ostendebatur ara Octavio consecrata:

Finitimū
bellum ꝑ
cum finitimis
ge-
titur.

qui bello dux finitimo, quum forte Marti rem diuinam faceret, nunciata repente hostis incursione, semicruda extra raptâ foco profecuit, atq; ita prælium ingressus, uictor redijt. Decretum etiam publicum extabat, quo cauebatur, ut quoq; anno in posterum simili modo exta Marti redderentur, reliquiæq; ad Octavios referrentur.

Velitris.) Velitræ nobilis Volscorum ciuitas, quibus in Romanorū potestati redactis & expulsis, coloni ab urbe sunt missi Velitras: Liuius lib. 2. autore.

Origo